

Werk

Label: Chapter

Jahr: 1923

PURL: https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?251726223_0011|log28

Kontakt/Contact

[Digizeitschriften e.V.](#)
SUB Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen

✉ info@digizeitschriften.de

Continuo respondeo, optime Gesnere, ut sciam num acceperis VI. T. Physiologiae, nisi accepisti, mittam continuo cum exemplo destinato Morgagno et Ludwigio.

Non cupiebam, etiam nunc non cupio patriam relinquere, sed ita fere omnia se habent, ut non possim non relinquere. Hic Bernae plurima pars otii inter alienissima officia vitae perit, neque est alimentorum satis, ut amplae familiae prospiciam. Gottingae medias inter Musas vivam, fruam otio ad studia mea, et cum dignitate et honesta cum annona consenescam. Tamen repugno ut possum. Lipsienses non advenerunt, venient puto aliquanto serius.

Finem novae editionis Primarum linearum hodie Gottingam misi, valde auctae. Caeterum lib<rum> de ossibus¹⁾ latine convertito, deinde monstra, etsi nullum certum pro operibus minoribus bibliopolam habeo, sed utor praesente otio. Proximus labor erit Enumerationis stirpium Helveticarum.

Gouanus icones posthumas Ricardi de Belleval²⁾ edere cogitat, non incommodo consilio. Consilia petit: ego hac hieme eas icones comparabo cum plantis meis.

Quaere peto ex Fusslino Tuo, num vero in Rhaetica regione Capillum Veneris aut Capparidem repererit, quas ad Dickium³⁾ misit, qui nuper Gottingam abiit, postquam Spickii parochiam non mediocris beneficii a munificentia baronis Erlachii obtinuit.

De universa re salinaria ad senatum relationem scripsi et proxime offeram. Sunt aliqui, qui me vellent retentum, nescio an satis serio satisve numerosi.

Nunc Tibi officium defero, quod lubentissime obibis. Obiit

1) Deux mémoires sur la formation des os, war französisch 1758 in Lausanne erschienen und kam lateinisch in den II. Band der Opera minora, Lausanne 1767.

2) Pierre Richer de Belleval (1553—1623), Botaniker und Anatom in Montpellier.

3) Jakob Dick (gest. 1785) war Hauslehrer im Hallerschen Hause gewesen und hatte zu botanischen Zwecken mehrere Alpenreisen unternommen.

Grafenriedius senator et vexillifer¹⁾. In eum locum amici me tentant subrogare: ita patriae possem servari. Sunt Heideggero Vestro²⁾, viro amplissimo, hic Bernae potentes amici: et a Schult-hessio magna cum Heideggero amicitia. Leges non sinunt me ipsum ea auxilia invocare. Tu posses per Schulthesium, cujus gener filius meus natu maximus est, me nominandum agere cum Heideggero, ut ad suos amicos scribat meque velit commendatum. Non erit plane sterilis labor. Tempus sufficit, nam 10. Nov. demum senator seligitur. Haec Tuae prudentiae et amicitiae commendo. Bernae die 27. Oct. 1764.

292.

(288).

Bene est quod ampliss. Heideggerus ad amicos suos scripsit, neque erit inutile si beneficium laborem iteraverit. Est amicis meis nonnulla spes de electione, quae de fatiis meis decidet. Nullo enim modo possem, si omnino nulla spes superesset in patria, conditiones amplissimas repudiare. Electio erit die Veneris 9. Nov.

Kappius et Gralathus(?) mecum fuerunt.

Proxime cum currū publico mitto Tibi, Ludwigio, Morgagno et Planco Tomum VI. Physiologiae.

Quis est titulus libri D. de Garsault³⁾?

Bene est quod opus Weinmannianum ineptissimum emendas, adeo hactenus inutile ut potius noceat.

Omnia mea tempora in his republicanis nunc motibus consumuntur. Accepi nuperas mappas D. d'Auville⁴⁾, bonas, minus tamen nitide sculptas. Albinus in me et du Hamelium scripsit.

Vale et ut soles ama. Bern. die 2. Nov. 1764.

293.

(394).

Color infaustus calculorum me exclusit nudius tertius: in prioribus electionibus superaveram Mutachium, in ultima vota fuerunt 64 et 62, quod amicis meis novi calculi pauciores contigerint. Ingratius hoc mihi accidit, quod incertitudinem meam confirmet. Gratiae sunt agenda Heideggero, viro amplissimo, rogandusque

1) Joh. Bernhard Grafenried (1691—1764), 1727 im großen Rat, 1762 Venner. Leu II, 584.

2) Johann Konrad Heidegger (1710—1778), der bedeutendste zürcherische Staatsmann im 18. Jahrhundert.

3) F. A. de Garsault, Les figures des plantes et animaux d'usage en médecine, décrits dans la matière médicale de M. de Gelofroi. Paris. O. J. (1764). BB II, 447.

4) Jean-Baptiste Bourgnignon d'Auville (1697—1782), einer der bedeutendsten französischen Geographen. Nouv. Biogr. Gén. II, 868 ff.

ut porro amicis suis me commendet. Fasciculus adveniet cum proximo curru.

Utique perficies et utile reddes opus Weinmanni.

Omni otio hic destituor. Et undique impetor a bibliopolis operam sollicitantibus meam. Non semper tamen ita erit.

In duabus typographiis nunc editur Physiologia major, ut inter M. Julium ad summum tota sit excusa. Nam sub id tempus per Carlsruham et Francofurtum Gottingam cum familia petam, si abeundum est, ut tamen fere suspicor, etsi reclamant amici, sed certam dignitatem incertae spei quis non praeferat? Exspecto tum de Gottingensi statu certiora nova per Dickium meum. Nam totam eam regionem misere vastatam fuisse undique audio.

Vale, suavissime Gesnere, et me ut soles ama. Bernae die 11. Nov. 1764.

294.

(289).

Bona mihi hactenus fuit valetudo, suavissime et amplissime Gesnere, paremque Tibi fortunam sinceris votis apprecor.

Otium vix ullum superest: adeo, tum viri tum a patria impositi labores me distinent, et jactura temporis quam nostri mores non sinunt evitare. Mera ultima vice sors me exclusit, nulla tamen erat spes in contentione cum Diesbachio.

Nihil a Gouanio accepi.

De fonte sale marino gravido fac quaeso ut propiora discam. Ecce libros aliquos quos desidero. (Folgt Bücherliste.)

Notis atramento signatis in Eisfeldii catalogo desideratos distinxi.

Allionius plantas nonnullas misit. Accepi etiam ex Anglia libros, novum volumen Phil. Transact. et Lyons fasciculum plantarum¹⁾.

Palatini rogant ut ipsis describam modum solo solis calore salem excoquendi. Plantas promittunt.

Ita vale et me ut soles ama. Bern. die 26. Jan. 1765.

295.

(290).

Accepi, humanissime et carissime Gesnere, fasciculum Tuum et reliqua exspecto.

Weinmannus quidem de viribus potius plantarum disputat. Caeterum si cancellarii munus adopto, ut fere species nunc veri ea res habet, potero forte ejus utili opere uti. Est mihi apud

1) Israel Lyons, Fasciculus plantarum circa Cantabrigiam nascentium, quae post Rajum observatae fuerunt. London 1763. 8. BB II, 531.

regem et reginam favor aliquis, et exorabo forte optimum principem ut in Floridam, vix hactenus perlustratam, aut Bengaliam hominem mittat.

III. Heideggero gratias habeo pro commendatione filii.

Ex Anglia transactiones advenerunt, in quibus *Walkeria* describitur et *Orchidea* planta Virginica, aliis et a labello diversis necariis praedita.

Taedet me hujus vitae, amice Gesnere. Intercidit universum otium absque ulla vel publica vel privata utilitate, neque tamen remedium novi, quales nobis mores sunt. Vix foliorum Physiologiae corrigendorum otium superest. Aegre video ut possim corrasis jam omnibus Enumerationem expedire.

Adansonius constat semiludovico, *Flora Danica* 12 imp. Bernensibus s. Danicis 2 $\frac{1}{4}$ L., haec faciunt 2 L. $\frac{3}{4}$ Vestri 57 flor. 49, nam accurate non novi, L. Aur. 10 fl. faciunt 5 L. aur. $\frac{3}{4}$ cum nonnullis bazenis. Mitto hos tres ludovicos, bacenos quos non possum accurate expedire nota, et si erro in florenis ad L. aur. reducendis, quaeso etiam significa, emendabo omnia. Curabo etiam ut Oederus mittat tabulas desideratas fasciculi tertii.

Jacquini observationes¹⁾ utilitatem habent.

Valetudo satis bona est. Male metuo a podagra, cum ex moribus nostris non possim non funera comitari, in nostris quadratis lapidibus stando frigus sentire.

Exhalatio mea ab electore Palatino in salsis fontibus introducetur. Forte exemplo viso patria donum accipiet non multum infra 12000 franc annuorum.

Vale, amicissime Gesnere, et me ut soles ama. Bernae die 17. Febr. 1765.

Insignia sunt experimenta D. Mac Bride²⁾ de aere fixo, de fermentatione carniū. Exemplum occasione data mittam, nam alterum misit Cl. Pringle.

296.

(291).

Duas epistolas Tuas accepi, Gesnere optime et carissime, cum disputationum fasciculo, et cum Rodereri morbo mucoso. Optimi juvenes in tempore incommodissimo inciderunt, quibus reipublicae officia, aegrotorum me invitum consulentium numerus, et nescio quae alia me ita distrahunt, ut nunquam meus sim. Zieglerus de aquis salsis subsylvanorum ad non neminem scripsit, locum non addidit. Quae in cista Petropolitana disturbata sunt, doleo Tibi

1) Die Observationes botanicae erschienen von 1764 an in Wien. BB II, 491.

2) David Macbride, Experimental essays. London 1764. 8. BB II, 548.

esse taedio aliquo. Poteritne apud Vos Linnaei nova generum editio haberi?

Etiam de Mughho scripsit Zieglerus. Utinam arborem recentem haberet, nuperioribus enim vix nota planta est.

Debitum meum in tabulas retuli.

Senatus jussit meam de salinis nostris commentationem typis edi. Neque tamen spero quidquam hic publice utile ex meis experimentis secuturum. Erit exiguum volumen 8 forma, Germanice scriptum.

Et magis atque magis videntur res eo tendere, ut in Germaniam redeam. Vix fero hoc vitae pene inutile genus, neque tamen vitare possum, cum absque eo amici sperare nequeant, ab amicis omnia pendunt. Prima folia novae editionis Primarum linearum accepi, quae paulo majori charta receditur, multum emendata.

Scopolus nonnullas plantas ad Willichium discipulum meum misit, aliquas ut puto Alpinas et novas.

Vale, amicissime Gesnere, et porro fave. Die 2. Mart. 1765.

297.

(380).

Ita est, amicissime Gesnere, cum hac otiose laboriosa vita, cum nunquam sim mecum et inserviam omnibus praeter me ipsum. Satis tamen recte valeo neque podagram sensi neque vertigines, sed neque corporis molestam gravitatem. Ad praxin rapior et ad officia publica omnis generis. Ante 8 dies extra ordinem senatui sanitatis adgregatus sum. Nunc meo olim amato orphanotrophio restitutor, sed interim tempus perit et vita elabitur. Nollem tamen perire Enumerationem et Operum minorum T. II. Et tamen de utriusque laboris fine dubito.

De salinis sub prelo est libellus. Septimus T. Physiologiae de prelo prodiit, quem proxime cum desideratis mittam et cum tabulis Milleri, quas puto solus possideo. Utor libenter Tuo specimine N. G. Linnaei, aliud ut spero bibliopola adferet. P. VI. Emendationum dudum ad Te pervenisse debuit, sed tamen remittam.

Plantas aliquas misit Allionius, et duos libellos Caldanus, vult meum iudicium. Cum vero id non sit futurum solidum satis, eos libellos Tibi curabo, sunt physici et astronomici argumenti. Ego vix quotidianis legendis sufficio. Placebit Tibi Mac Bride, certe mihi, Halesii bonus imitator.

Appropinquat tempus, quo de futuro meo statu erit definiendum. Auguror autem mihi abeundum esse, etsi invitus amicos et familiam desero.

Vale, Gesnere optime, et nos ut soles ama. Die 16. Mart. 1765.

298.

(292).

Accepi, Gesnere optime et amplissime, Linnaeanum systema, quod lectum si placet remittam pretiumve solvam.

Cras abit inscriptus Tibi fasciculus in quo
 icones Milleri
 libelli Itali
 Macbride
 Emend. VI.

Si hodie accipio Physiol. T. VII., addi curabo. Nam typis est editus, sed nuper. Plurimus mihi labor est omnis generis, et reipublicae gravia sunt negotia. Heri resignationes pecunia redemptas munerum, turpe negotii genus, lege proscrisimus.

De Schobingero gratissimus est nuntius.

Ut valet Heideggerus? Quaerit subinde Ougspurgerus¹⁾ quaestor, qui ex febre malignissima uxorem nuper amisit.

Insecta illa vellem per occasionem videre.

Ad Oederum de tabulis Tuis scripsi.

Vale, vir celeberrime, et me ut soles ama. Bernae die 28. Mart. 1765.

299.

(293).

Omnia quae misi, Macbride et Italica scripta, dona sunt amicorum, patere sint et mea. Millerum ut usus eris, remittes.

Albini l. VI. nondum vidi, vellem detrectare hoc fastidium et neque legere neque respondere. Consenesco, studeo valetudinem conservare. Tu qui legisti, amice optime, mone num necesse sit respondere, num aliqua sint facta, historica aut anatomica, quae vindiciis egeant. Si nulla sunt, nunquam legam, si sunt aliqua, suscipe quaeso id laboris, ut ea, ut non multa erunt, exscribas et mittas. Est opportunitas respondendi, quam tamen mallet praetermittere. Nollem tamen mihi imputari indecora aliqua, quae quidem certus sum me non onerari.

Opusculum de salinis propediem in lucem prodibit; edo etiam, non tamen meum opus, Methodum avertendae et curandae febris malignae, quae nunc paulatim exstinguitur, postquam magnam funerum fecit frequentiam.

Non magnus auctor Buchoz²⁾ nuper obiit itaque ejus opus intercidit, quae exigua jactura est et facile ferenda.

1) Beat Sigmund Ougspurger (geb. 1702), Venner und Seckelmeister welscher Landen 1759. Leu. Suppl. IV, 430.

2) Wenn es sich, wie wahrscheinlich, um Pierre-Joseph Buchoz handelt, war die Nachricht von seinem Tod ein falsches Gerücht, da er erst 1807 starb. Gurlt-Hirsch I, 608.

Gleditschii puto methodum¹⁾ Te legisse. Classes summae paucae et valde inaequales, reliqua fere Linnaeana.

Homines mei in Valesiam his diebus iter facient, utinam feliciter. Retardant Physiologiae T. VII. bibliopolae. Excusus est, sed folia nondum collegerunt.

Heideggeri filius Bernae est et nuper ab Ougspergero prandio exceptus est. Valde eum virum et ipse amat et consul Tillier. Accedit ingratum opus de meo vel itinere vel in patria manendi consilio deliberare. Utinam cadat feliciter.

Vale, amice optime, et porro me ama. Bern. die 6. April. 1765.

300.

(294).

Ecce, Gesnere optime, literas per quas cognosces Gouanum meum exemplum Florae Monspeliacae ad Te misisse. Si accepisti, per ocium mihi curabis.

Mitto Tibi proximo die Veneris T. VII. Physiologiae, quem nunc mecum habeo, tum pro Ludwigio, Morgagno, Planco, Trewio singula specimina. Addo Opobalsamum Linnaei²⁾, quod cum fine Tuo convenit. Remittes, ubi usus eris.

Planta nova Valesiaca confirmatur. Ad Lunariam recedit, cujus nova species est.

Harrisium³⁾ ad D. Schulthesium remisi. Satis nitidae sunt icones.

Vale et me ut soles ama. Bern. 12. April. 1765.

301.

(296).

Fasciculum Tibi destinatum, Gesnere optime, Cl. Schulthesium reddendum suscepit. Adjeci Opobalsamum, in quo et Forskøhlia describitur. Hunc ut placebit remittes.

Non credo Albini convitia praeter universalem aliquam respon- sionem quidquam poscere. Pro labore gratus sum, quem mei causa suscepisti. Addam per Cl. Schulthesium, si absolutus erit, de Salinis tractatum, qui pene absolutus est, et exemplum pro Ill. Heideggero.

De patria mutanda continuo agitur. Fateor hoc de reliqua vita mea iudicium mihi difficillimum accidere. Hinc caritas libe-

1) Wahrscheinlich das Systema plantarum a staminum situ. Berolin. 1764. BB II, 295.

2) Opobalsamum declaratum. Ups. 1764. 4. BB II, 257.

3) Die neue Ausgabe der Navigantium atque Itinerantium Bibliotheca von John Harris (1667?—1719), die 1764 in 2 Bden erschienen war. S. Dict. Nat. Biogr. XXV, 14.

rorum, amicorum, aetas, quies. Inde conditiones vitae lautae, senium cum dignitate, spes inveniendi, bonas artes promovendi, cum hic aegre vitam sustentem tanta cum familia. Spes aliquae offeruntur, sed incertae et quae facillime fallere possunt.

De irritabilitate florum exiguus libellus pervenit, quem necdum legi.

Planta de Lunariae forte genere nova iterum advenit, similis certe Leucojo per omnia, sed siliqua lata plana cum septo parallelo ut videtur. Nunc plurima specimina exspecto. Nascitur in rupibus prope Octodurum.

Taedium me capit hujus vitae, quam inter aliena officia et negotia tero, nemini minus proprius quam mihi. Valetudo utique inter discurrendum optima fuit.

Sauvagijs ad me misit theses aliquas. Queritur de Gouano, qui suas novas plantas non citaverit in Flora dictas, sed nosti qualis botanicus sit optimus Sauvages.

Vale, Gesnere carissime, et me ut soles ama. Bern. 21. April. 1765.

302.

(297).

Accepi, carissime Gesnere, a Somisio Raggionamenti exemplum Tibi destinatum, nihil a Gouano.

Tomum VII. Physiologiae nunc habes a Schulthessio.

Praxi, laboribus omnigenis distrahor; a Gottingensibus dilationem trium mensium petii, nescio quo successu. Elidor pene inter contrarias rationes.

Lorryi satis bonum de Melancholia librum¹⁾ auctor misit, certe ut nunc Galli scribunt. Senaci l. du Coeur receditur. Expurgat quae in me hostiliter scripserat.

Addam Somisio libellum de Salinis, cum exemplo amplissimo Heideggero destinato. Etiam Ithii methodum curandae febris putridae²⁾, quae nunc desaeviit.

Num quid de salso fonte Underwaldensium innotuit? Et de Switensium turbis?

Terram fulloniam pretio non exiguo inscripto obtinuit Societas Oeconomica, eademque pannifices nunc utuntur. Ita paulatim utilitas publica nostrorum conatum confirmatur. Equidem sabulosa est, sed potest ut puto elavari.

1) Anne-Charles Lorry (1726—1783): De melancholia et morbis melancholicis. Paris 1765. 2 vol. Gurlt-Hirsch IV, 43.

2) Unterricht wie bei herrschenden böartigen Fiebern die Krankheit abgewandt oder geheilt werden könne. 36 Seiten. S. GGA 1765, 565 f.

Ferri penuria nos adigit, ut omnia tentemus, quo liceat necessarium metallum nobis ipsis comparare. In Sueciam mineram mittimus, ut consilium dent, qui fragilitas emendari possit; vocant falbråft id ferri genus.

Vale, amplissime vir, et me porro ama. Bern. die 28. April. 1765.

Spes est filium meum natu maximum senatui bellico fore ascriptum: titulo tenus substitutum, vere autem et in effectu omnino societarium. Schulthessius non illibenter audiet.

Inoculari curavi tres pueros nobiles: felicissime procedit, et in duobus natu majoribus absque ulla febre clam variolae prodierunt.

303.

(298).

Spero tussim Te interim, amice optime, dimisisse liberum.

Electio diei 6 penitus mihi infausta accidit. Est equidem sortis potestas, ut possit inter multos amicos fieri ut nullus electoris facultatem adipiscatur. Multa tamen interciderunt mali ominis. Itaque exspecto non sine metu responsum ad literas in quibus trium mensium dilationem petieram. Si recusant, nescio certe quo tunc me vertam, ut invitationem declinem, cum spes in patria adeo aversa sit.

Plantam ex Valesia tunc cum semine accepi. Est Alyssoides Leucoji f. viridi, quo Linnaeus caret. A plerisque Alyssis longe differt flore caryophyllaceo et calyce deorsum gibbo, ut Leucoji keiri sit simillimum. Suo tempore specimina mittam.

Cras ut puto filius eligetur nemine contradicente.

Principis Würtembergici praesentia¹⁾ hic omnium animos ad coenas et ad choreas divertit, quorum neutras tamen amat princeps philosophus.

Cocchius junior misit ad me observationem de vasis lacteis humanis in villosa tunica visis²⁾.

Caeterum otium meum misere perit. Concinnavi tamen dissertationem de restituenda his in locis medicina, chirurgia et arte obstetricia.

Spero Te fasciculum accepisse jam die 2. missum cum specimenibus opusculi salinarii Tibi, Heideggero etc. destinatis, etsi non accusas. Ego Millerum nondum accepi, sed non urget ulla necessitas. Exiguum quod superest otium corrigendo Tomo VIII. Physiologiae destino.

Vale, vir amplissime, et me ut soles ama. Bern. 12. Maj. 1675.

1) Ludwig Eugen Herzog von Württemberg (1731—1795), Mitglied der Helvetischen Gesellschaft.

2) Raimondo Cocchi, Sohn des Antonio, Epist. V, 218.

304.

(299).

De morbo Tuo, Gesnere amicissime, illubenter audio eumque ad meliora converti gaudeo ¹⁾).

Spero Cl. Tschudi Glaronensem deputatum Nova literaria Gottingensia Tibi tradidisse, quae nuper advenerunt.

Prolixam voluntatem Tuam ¹⁾ gratas agnosco, qui patriae meae me cupis servatum. Res difficillima est, et maximo cum periculo anni dilationem petii, si recusant, summis in angustiis versaturus. Non mala me urget ambitio, sed nullo modo, quem ego pervideam, possum familiam et senium meum alere, nisi ita res meas commutem, ut bibliothecam vendere, ab emendis libris abstinere, et tamen aliquo annuo censu frui queam: alia autem per leges patrias non patet via, nisi senatus.

Quando Ill. Tillier, nuper electus legatus, Tigurum veniet, posset forte Ill. Heideggerus animum ejus viri inclinare ad faventiora. Ego quidem nihil neglexi, quod per leges liceat, ut mihi animos conciliarem, non tamen mihi videor magnos fecisse progressus.

Non videor mihi in patria eo esse loco, ut quidquam insignis utilitatis in eam conferre possim. Et tamen misere otium meum perit, ut vix hoc anno possim editionem meae Physiologiae absolvere, omneque otium meum in corrigendis schedis consumam.

Nulla mihi hic provincia superest praeter Italicas, quae nullius sunt momenti. Roche enim ad I. classem censetur.

J. Plancus tabulas Florentinorum ad me misit. Vix possum nunc ejusmodi libros emere.

Bellardi libellum non oportebat remisisse, quem Tibi destinaveram. Whyttium ²⁾ ex morbo nervoso languere scripserunt, sibi que ipsi per incommodam curationem nocere, quam ad theoriam suam adornet. Hillii novum tomum prodiisse audio.

Vale, amicorum optime, et me porro ut soles ama. Bern. die 25. Maj. 1785.

305.

(300).

Cras, Gesnere optime, mittam Tibi per currum publicum plantas siccas et semina a Cl. Gouan demum accepta, cum ejus Florae specimen. Haec omnia longam moram Lugduni passa sunt. Addidi plantarum icones pro Lichtenstegero, quae possunt currui publico tradi, si eum Vestri mercatores tutum putant.

1) Epist. V, 226 f.

2) Robert Whytt (1714—1766); berühmter englischer Physiolog, Anhänger der Stahl'schen Lehre und Gegner der Haller'schen. Gurlt-Hirsch VI, 261.

De Tuo solito longiori morbo illibenter audivi. Ego quidem bene valeo.

Unius anni dilationem obtinui ab Hanoveranis. Sed erit abeundum, ut magis et magis percipio. Interim omnes amicorum et liberorum querelas hac mora speravi me occupaturum, Physiologiam de prelo absoluturum, alia varia confecturum, ut libero animo et confectis negotiis Bernam relinquere possim.

Siquidem Cl. Heideggerus cum nostris magnatibus egit, video summi viri benignam voluntatem, ob quam ipsi me obstructum esse agnosco, non habuisse exitum, quem sperabat.

A Gaumio vellem T. IX. Petropolitanorum habere.

Floras puto novas Wilkii¹⁾ et Wulfi²⁾ jam vidisti.

Novam civem de Lathyri genere ex Valesia accepi, seminibus angulosis, a Gerardo designatum.

Magnam jacturam feci quo die Ithius obiit, ex febre maligna pleuritidis schema habente per contagium suscepta extinctus. Inter nostrates discipulos hic unus se gratissimum praestiterat et inter amicos fidissimum. Consilia nunc agitantur de vocando medico exterraneo aut ex subjectis civitatibus. Bertrandus etiam nos reliquit.

Werlhofii mala valetudo me angit et turbat. Itaque undique de mundo paulatim quasi abscindimur, ut insularum modo a toto orbi remoti vivamus.

Dum haec scribo, accipio Oederi fasc. IV., quem Tibi curo cum tribus tabulis fasciculi tertii, quae deficiebant, ut is nunc fasciculus plenus sit et perfectus.

Plura etiam advenisse audio; cum vero Dickianis chartis addita sint, et is nondum ex itinere advenerit, erit exspectandus.

Vale, amicorum suavissime, et porro me ama, etsi, ut res nunc stant, nunquam me revisurus. Ita ferrea jubet necessitas, cui frustra repugnavi.

Bernae die 13. Jun. 1765.

306.

(301).

Redierunt ad me Milleri tabulae cum T. IX Acad. Petrop., quem remittam, quando Primae lineae meae advenient, quod fiet propediem.

Ajunt inter chartas Ithii repertas esse, quae declararent, optimum virum Warsoviensem vocationem sequi constituisse. Maxime mihi flebilis ea mors accidit et etiam liberorum meorum fortunam tetigit.

1) Samuel Gustav Wilke, Flora Gryphica. Greifswald 1765. 8. BB II, 559.

2) J. Christoph Wulf, Flora Borussica denuo efflorescens auctior. Regiomont. 1765. 8. BB II, 337.

Hanoverani me exspectant, neque detracto. Videndum est num patria sit intercessura.

Wulfi, Wilkii et Wernischeki¹⁾ opera botanica coram habeo. Oederiani nihil ultra puto prodiisse.

Non ero Tibi in libris molestus, siquidem Gouanus, quo uteris, deficit. Acta Petr. vix quidquam habent in usus meos, Berolinensia, quae accepi, pauca, plura Belgica, in quibus varii casus medici et chirurgici continentur.

Commersonus plantas aliquas misit, qui Parisiis versatur.

Otium meum fere in res civiles consumo aut omnino perdo. Valde me ejusmodi vitae poenitet, sed retinent liberi, amici, senium.

Florae quas nominavi parvi momenti sunt.

Magnates de advocando medico cogitarunt, ego restiti hactenus, ne cives etiam hoc statu dejiciantur. Terror eos invasit ab Ithii morte.

Vale et me ut soles ama. Bern. 29. Jun. 1765.

Mei homines M. vallis S. Nicolai et alios Italiae et Valesiae conterminos iterum adeunt. Utinam aliquem in valle Tellina haberem, quo possem uti. Multa enim ibi nova exspectarem.

307.

(302).

Mitto Tibi fasciculum desideratum, amice carissime, et + notavi magis desideratos.

Utique Ithii mors filiae destinatas nuptias videtur abruptis, quas ille amicus noster cum viro honorato conciliabat.

Taylorum quando nuper hic vidi, non reperi quidquam de suis antiquis vitis remisisse.

Gratus forem si Störckii novum opus²⁾ interim Cl. Schinzii commodare vellet.

Nuper denuo scripsit Gouanus Tibique et mihi plantas siccas per amicum quem non nominat dicit se misisse.

Mirum esset, si sterilis esset in vallem Tellinam excursio. Ego meos homines ex summis Lepontiis Alpibus exspecto.

Victito mille modis non occupatus adeo quam distractus. De suscitandis submersis consilia pro republica expedio et addenda pro Physiologiae opere. Excurro paulum, sed ager Bernensis sterilis est, subinde aliqua adfert Dickius. Nunc cogor aedes mutare, quod est perincommodum.

1) Jakob Wernischek, Genera plantarum secundum numerum laciniarum corollae disposita. Vienn. 1764. 8. BB II, 544.

2) Libellus quo continentur experimenta et observationes circa nova sua medicamina. Vienn. 1765. BB II, 490.

Vidi novum tomum Comment. Acad. Paris. In rem meam nihil habet. Multa Guettardiana ad res fossiles, Poloniae historiam puto perinde praecipitatum, ut illa fuit Helvetiae mappa. Melior forte descriptio fodinarum Wiesbizensium.

Vale, vir amicissime, et me porro ama. Bern. die 17. Jul. 1765.

308. (303).

Grates ago maximas pro libris; adde si placet Doeveren, etiam cum malis figuris.

Habeo plantas Gouani Tibi destinatas. Addam quas quotidie exspecto Primas lineas meas, et mittam cum Störckio.

Pro Coride gratus sum, non exspectaveram.

Vidi juvenis du Cheyne opusculum¹⁾, admiratus familias aliquas Jussievi, quas non concipio ullo modo, ut Vitem Geranio additam, cum Pinguicula numeratam Globulariam etc.

Accepi duos Buffonii tomos²⁾ cum animalibus rarioribus quadrupedibus. Supersunt Simiae. Accepi etiam icones Daubentonii, nitidas, nihil tamen habentes supra Eberardum.

Otium meum tero in curandis addendis Physiologiae, quae sensim in lucem erepit. Albino breviter respondebo, nam denique legi. Tissotus respondet Haenio.

Vale, vir amplissime, et me ut soles ama. Bern. die 1. Aug. 1765.

309. (304).

Accepi, amice optime, quae perhumaniter misisti, et in rationes retuli. Daverii experimenta a studioso nec sollicito capta sunt. Etiam hic omnia fervent circa scholarum reformationem. Eas utique ad formandos ministros religionis unice destinatas ita volunt reformare, ut etiam civilia ad munera juventutem praeparent³⁾. Nimis indulges simplici puellae, quae Tuam humanitatem in literis ad matrem laudavit ut meruisti.

Utinam Vestri aliquid inveniant utile.

Est mihi circa 2 Scabiosas Clusii dubium, serratifoliam et integrifoliam. Habeo utramque istam non satis in bonis exemplis; si Vestri invenient, grata foret.

Accepi ex Anglia magnificum Hunteri de formato fetu opus⁴⁾,

1) Du Chesne, „advocati Parisini, nostri amici, in mediis hortis nati“, Manuel de Botanique, contenant les propriétés des plantes pour la nourriture, la médecine, les arts, l'ornement etc. Paris 1764. BB II, 540.

2) Die Bände XII und XIII der Histoire naturelle.

3) S. Haag, Die hohen Schulen zu Bern, 1903, 141 ff.

4) William Hunter, Anatomia uteri gravidi tabulis illustrata. Das Werk

tabulis cum 25, in quibus multa nova et a receptis aliena. Sic in animalculis infusoriis Wrisbergii¹⁾. Gen. de Saussure in eadem experimenta incumbit. Ego in ovis sum, ut dubia de formatione vasorum et nuditate cordis elucidem.

Exc. Tillier convalescit; varii gravissimi morbi mihi curandi contigerunt non sine studiorum detrimento. In aliam etiam domum migro cum summa temporis jactura. Buffonii duos sermones caute oportet legere, eum imprimis quo naturam in Dei locum substituit.

Odiosissima de Helvetis et de me potissimum sparsit Pennant²⁾, nullam quam intelligam ob causam, nisi quod zoologiae imperitus non potui ei utilis esse, sed neque desideraverat et ne domum quidem meam adiverat.

Hanoverani porro urgent, hic amici incipiunt consilia capere de meo discessu impediendo. Ego porro me Providentiae divinae commendo, nihil ipse tentaturus, ne ingratus in Hanoveranos videar, qui honestissime se mecum gesserunt.

Vale, amplissime Gesnere, et me porro ut soles ama. Die 1. Sept. 1765.

310.

(295).

Accepi, Gesnere clarissime, fasciculum a Spallanzano³⁾ advenientem, in quo egregia experimenta de animalculis infusoriis continentur. In iis nunc totus est Cl. de Saussure, multumque boni ex ejus laboribus spero⁴⁾.

Averem scire, num per D. Kuhnans, cui plurimum debeo, possim ad Spallanzani humanissimas literas respondere.

Doleo plantas Helveticas nihil ex hoc itinere profuisse.

De ramo Pini gratias ago.

Nescio sane quid de mea in patria mora sperare liceat. Si fortuna esset ejusmodi ut alienis subsidiis carere possem, si etiam

war 1751 begonnen worden. S. Choulant-Frank, History and Bibliography of anatomic illustration, 1920, 296.

1) Heinrich August Wrisberg (1739—1808), Nachfolger Roederers in Göttingen: Observationum de animalculis infusoriis satura, quae Societatis Regiae praemium reportavit. Göttingae 1765. BA II, 590.

2) Thomas Pennant (1726—1798), englischer Reisender und Naturforscher. Dict. Nat. Biogr. XLIV, 320.

3) Lazzaro Spallanzani (1729—1799), berühmter italienischer Naturforscher. Zu der Zeit war er Professor der Naturgeschichte in Modena. 1765 erschien sein Saggio di osservazioni microscopiche concernenti il sistema della generazione dei Signori Needham e Buffon, in dem er sich gegen die Urzeugung wendet. Die Schrift ist neu gedruckt in den Classici delle Scienze e delle Filosofia. Bari 1914. S. Gurlt-Hirsch V, 475.

4) Horace Benedict de Saussure, De generatione erschien 1767. BA II, 639.

typographi essent, qui, ut hactenus contigit, honestum laboribus meis praemium statuerent, nunquam de nova mutatione cogitasset, sed confusa sunt omnia inter typographos, et fere nescio quis sit opera mea minora recusurus. Fortunae autem non eae sunt, ut omnino, ut hic vivitur, absque sordibus possim senium meum sustentare. Haec sincera expono. Caeterum, ut nunquam sollicitavi Hanoveranos, ita neque cives meos, ut res nunc se habent, possum ad aliquam extra ordinem annonam compellere.

Multum mihi taedii onerat novarum aedium habitatio librorumque reparandus ordo, bonasque horas aufert.

Hunteri nitidissimae sunt tabulae uteri gravidum, quarum plerasque misit. Erunt 36, splendidum effecturae opus.

Paulatim absolvitur molestum illud Elementorum Physiologiae opus, quod stulto, ut nunc mihi videtur, consilio protraxi, catalogo editionum addito: erit etiam scribenda praefatio. Addenda et ipsa sunt fere 100 paginarum. Erit nunc multum reformandum de formato fetu opusculum.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bernae die 15. Sept.

311. (305).

Mitto ad Spallanzanum responsorias, quas Tuae, vir Ill., et Cl. Kuhnansii humanitati commendo.

Cum Gottingensibus mihi frequens est commercium, eaque nunc rerum mearum in nova domo confusio, ut nihil meorum ad manus habeam. Volebam Tibi per filium mittere lib. de irritabilitate florum, nunquam potui reperire. Quotidie vero aliqua pars librorum in ordinem redit.

Multum me turbat et occupat cura valetudinis Ampl. Ougspurgeri in dysenteriam ut videtur relabentis, tunc neptis et nepotis dysenteria correptorum, praeter Exc. Tillier, cum quo melius agitur. Spero me cum bibliopola res meas de opusculis composuisse. Itaque sub initio anni proximi sub prelum dabuntur.

Cl. de Saussure in microscopicis animalculis multum profecit. Non sunt multae species. Aliquae ad polypos pertinent et ad eorum morem propagantur, aliquae viviparae sunt. Spero per ejus curiositatem incredulis illud aequivocae generationis exemplum ereptum iri.

Girardi de Uva ursi¹⁾ satis placet. Acidam, quod non exspectassem, plantam esse adparet, quae calculum fere ut vinum dissolvat citrivi succus.

1) Michaele Girardi, De Uva ursina ejusque et aquae calcis vi lithonriptica. Patavii 1764. BB II, 541.

III. Ougspurgerus denuo laboravit diarrhoea, sed simplici, et nunc convalescit.

Humanitate Tua, qua filiam meam accepisti, addidisti Tuis beneficiis.

Vale et me ut soles ama. Bern. die 28. Sept. 1765.

312.

(306).

Humanitati Tuae debeo, Cl. Gesnere, Usterianum libellum¹⁾ et utilem disputationem Tui Schulthessii²⁾.

Hac tota hebdomade parum valui febre catarrhali cum perpetuo frigore moleste adfectus, nunc convalesco, senectutis initia satis gravia percipio.

Teotonus anticicutarius advenit.

Etiam hic insulae Arolae plusculas Alpinas plantas alunt.

Etiam hic de scholis reformandis consilia agitant.

Elaboravi de oculis animalium 2 sermones³⁾, quos Gottingam mitto; nunc cerebra absolvam, inde observationes de generatione. Haec omnia in operibus minoribus adparebunt, quae post 1. Jan. sub prelum redibunt. Ita me libero ut Enumerationi soli serviam.

In Parisinis miror me solum pro anatome laborasse.

Physiologia aut mense qui incipit aut altero absoluta de prelo prodibit, quo ingente onere gaudeo me levare.

Si Gottingam redeo, experimenta sumtum reperientia in vaccis et forte in cervabus faciam. Omnino cupio in primos dies conceptus penetrare, quem nunquam nisi nimis jam perfectum vidi. Pulli formationem plurimum emendavi: „omnes auctores et ego cum reliquis fetum cum vagina pro fetu nudo habuerant“.

Per D. Duchesne regis Galliae desiderium ad me pervenit de fragariis conquirendis⁴⁾, luteo flore Cl. Gesneri, quam non credo ullam esse, et Jenersi Breßlinge. Mittam forte homines in ultimum Braulium, ut in plantam inquiram, quam eo loco Gesnerus posuit. Sed mallet per Battiranum agere, qui Sandali vivit in Valle Tellina. Literas ad eum curare vellem per D. Levizziari, si adhuc Clavennae vivit, quod forte poteris docere.

Vale, amplissime Gesnere, et me ut soles ama. Nov. 2. 1765.

1) In den Abhandlungen der Naturforschenden Gesellschaft in Zürich, Bd. II, 1764. BB II, 550.

2) Salomon Schulthess, De sero lactis dulci. Tübing. 1765. BA II, 617.

3) Sie erschienen erst in Bd. III der Opera minora, 1768.

4) S. BB II, 540.

313.

(307).

Ecce, humanissime et celeberrime Gesnere, mea desideria. Quas plantas + notavi, eas magis desidero, ut, si desint, petam ab Einfeldio suppleri. In praeparandis ad prelum incisionibus fetuum quadripedum¹⁾ versor. Brevia sunt haec omnia et non magno tempore egebunt, longum vero de avibus volumen est. Utinam licuisset addidisse tabulas. Physiologia intra paucas septimanas absoluta erit.

Macbridii versionem²⁾ Tuae bonitati debeo.

Valde ad rem meam favit Tua eboris observatio. Placeat Tibi addere, „num strata eboris deflexerint atque pilam ferream circumiverint, num potius inordinatus callus solidus viam ferri sequatur“.

Periit nunc otium nostrum, et conventus CC virorum a die lunae inceperunt. Plurimum erit hac hieme laborum, utinam cum fructu.

Engelius noster de Americae et Asiae figura bene spissum volumen edidit³⁾, quo illam latiore facit, hanc angustiore, et Ressorum mensuras mendacii postulat; iter per N. O. ad Japonicam porro commendat etc.

Accepi du Lac Historiam naturalem Lugdunensis provinciae⁴⁾, satis inanem, Whyttii melancholici et pene maniacy de morbis nervorum⁵⁾, historiam Skildae, ne ipsam quidem valde relectam bona fruge.

Inundationes nobis passim damnum intulerunt, et nunc morbi putridi passim incipiunt secundum Arolae ductum recrudescere, postquam dysenteria conquievit.

In scholis etiam nos laboramus. Acciverunt et me extra ordinem. Historiae naturalis cathedram proposuimus, eamque studiis suademus admiscere. Inprimis autem ita mutamus pensa scholarum, ut politici pueri, non destinati ministerio ecclesiastico, et illi, qui ad id ministerium adspirant, pro lubitu possint pensa sibi propria seligere. Nescio quid de his moliminibus fiat, quae aliquos annos sumtus requirunt.

1) Commentarius de fetus in quadrupedibus formatione, erschien in Bd. II der Op. min. 1767.

2) Eine deutsche Übersetzung der 'Experimental essays' erschien 1765 in Zürich. BB II, 548.

3) Samuel Engel (1702—1784), Stadtbibliothekar in Bern: Mémoires et observations géographiques sur la situation des pays septentrionaux d'Asie et d'Amérique. 1765. Poggendorff I, 667.

4) J. L. Alleon Du Lac, Mémoires pour servir à l'histoire naturelle des provinces de Lyonnais, Forez et Beaujolois. Lyon 1765. 2 vol. BB II, 532.

5) Robert Whytt, Observations on the nervous hypochondriac or hysteric disorders. Edinb. 1765. BA II, 467.

Vale, suavissime Gesnere, et nos ut soles ama. Bern. 15. Nov. 1765.

Nunc maxime accepi N. lit. Gott., quae Tibi per currum publicum curabo. Adjecerunt Gleichii historiam pomi.

314.

(308).

De ebore gratias ago, humanissime Gesnere; ut primum sol redibit, id contemlor, deinde remittam.

Cras noster labor scholasticus ad finem suum perveniet.

Multae artes sellulariae Vestrorum maniacorum numerum augere potuerunt.

Satis valeo, occupor autem rebus ingratis, quas in me onerant, ad oeconomiam rusticam totius agri nostri pertinentibus. Cum typographis, iniquissimis mortalibus, de meis opusculis nondum convenit. Lonyus secundum librum de Melancholia misit. Ex Anglia accepi Hurlii Georgica, in quibus Pinaster, sed male depictus reperitur. Si per Vestros posses Messcatalogum mihi curare, gratum faceres.

Physiologiae paucae schedae supersunt, praefationes et tabulae. Actor. Physicocriticor. Tomus II. multa physica continet et mineralogica, etiam novum exemplum durae meningis in homine insensibilis. Spero hac hyeme Harveyi Opera omnia proditura cum magni viri vita¹⁾. Ita promisit Cl. Pringle.

Passim se ostentant febres putridae. Dysenteriarum strages satis magna fuit, in Argovia etiam potissimum. Rustici suam malam mentem sequuntur neque sana consilia volunt sequi. Austrina tempestas minatur morbos malignos.

Ne ob Genevenses, absurde libertatis cupidos²⁾, in nova dissidia involvamur, hic metuimus. Speramus tamen Gallos mediationis suae leges tuituros.

Fäsii II T.³⁾ legi, maluissem abstinisset et a criminatione in nostra tribunalia et ab elogio J. Jacobi Rousseau, facis certe, quae suam patriam inflammavit. Res nostras satis vitiose recenset.

Vale, vir amicissime, et me ut soles ama. Bern. 8. Dec. 1765.

1) Die Gesamtausgabe von Harveys Werken wurde vom Royal College of Physicians besorgt und erschien 1766.

2) Die Verbrennung von Rousseaus „Emile“ und „Contrat social“ am 19. Juni 1762 hatte die Opposition in Genf wieder entfacht. S. Dierauer, Geschichte der Schweiz. Eidgenossenschaft, IV, 358 ff.

3) Johann Konrad Fäsi, Genaue und vollständige Staats- und Erdbeschreibung der ganzen helvetischen Eidgenossenschaft. Zürich 1765—1768. 4 Bände.

315.

(309).

Gratias ago de catalogo, Gesnere amplissime. Eum nisi in mora vitium est, remittam cum Physiologiae T. VIII., qui de prelo nunc totus prodiit. Pauca ecce desiderata.

Teutonius dixerat, Haenium librum suum ob gratiam cum Swietenio reconciliatam subpressurum. Fraudulento ut videtur animo, siquidem prostat. Convalui equidem, caeterum fastidio aegre superabili teneor negotiorum et laborum mihi commissorum, alienorum a meis studiis, in quibus nihil proficio, et quibus omnia mea tempora et studia immolo. Eadem querela singula hieme redit.

Addam fasciculo librum de pulvere Turini editum, cujus nullus mihi usus est.

Gouanus suas icones propediem edet cum commentario St. Richardi de Belleval¹⁾, ex genio senili sculptas, sed forte vidisti.

Hillius ex aggregatis omnia conturbat, Eryngium, Bupleurum, Hydrocotylen ob simplices umbellas, Jasionem ob habitum eo remiscet. Habet autem raras aliquas, etiam novas ut puto plantas. Tomus jam VIII. ut audio prodiit. Cum meis Lausannensibus typographis forte conveniet, ita opuscula minora prodibunt anno decurrente 1766, multa ex zootome erunt, nova aliqua pridem edita, sed aucta aut mutata. Is finis laborum, si in patria mansero, praeter Enumerationem.

Studiorum patroni in Suecia officiis pulsati; et beneficia omnia quae nuper solebant eo conferri sublata sunt: ipsa gens sentit sua mala et caeco impetu imputat. Tristissimi hi luxus effectus sunt, in gente industria et generosa.

Saussurii suos de animalculis infusoriis libellos suspendit; incitavi ut ad eos rediret. Ostenditur particulos mobiles esse, non infusoria animalia, quae in bene clausis phialis nascuntur fervente humore repletis.

Vestri egregiam epistolam ad Genevenses scripserunt. Utinam veteribus suis amicis magis quam praepotentibus exteris cives confiderent, qui dum liberi esse volunt, servituti se abdicabunt, ocyus seriusve. Multi Vestrum, ut ex libellis video, nimis fanatico impetu et Rousseau dictato feruntur, utinam B. ab eo vitio purus sit! Nam postquam haec accurate expendi, pestifera principia esse reperi, cum quibus nulla societas stare possit, cum a magistratu commissam potestatem possit repetere, quam primum aliquid in gubernatione vitiosi sentit, sed potest pro arbitrio acer esse. Religionem etiam de fundo audacissime subruit.

Bernae 21. Dec. 1765.

1) BB I, 392.

316. (310).

Misi ad Te, amice suavissime, fasciculum per currum publicum diei 17. Continet tria exempla Tomi VIII Tibi, Trewio et Ludwigio destinata, librum de pulvere proprio Tibi oblatum, dentem elephanti et catalogum librorum. Schulerum accepi.

Quinques hac hebdomade ducenti convenerunt, exemplo pene inaudito. Tissotus tamen Cicutam laudat. Haenius negat se libellum scripsisse quem misisti. Sulzerus de Dauci radice etiam ad nostros scripsit.

Non dubium est Rousseaui libellos commotiones illas Genevenses excitasse. Eum rex Parisiis abesse jussit.

Werlhofii valetudo mihi quotidie deterior videtur.

Albinus jam senex divitem duxit uxorem.

Excusa vacuas literas, nihil habeo quod scribi mereatur.

Vale et me ut soles ama. Bernae die 19. Jan. 1766.

317. (311).

Noli, Gesnere clarissime, libros quos mihi coemis in beneficia convertere. Non auderem porro ejusmodi mandatis te onerare; et ii libri absque sumtu ad me pervenerunt.

Haenius videtur omnipotentem Sw<ietanium> irritasse, cum pridem Cranzium et Störkium et Austriacos in universum sibi adversos haberet. Immite et asperum ingenium non potest non ejusmodi talionem experiri.

Nos toti sumus in gubernanda republica, ut vix librorum legendorum aliquod mihi otium supersit. Proxime agitur de reformatione nostrae academiae. Professorem historiae naturalis ei conamur addere. Tissotus professor Lausannensis vocationem regis Poloniae deprecabitur.

Montanus mihi aliqua misit, valde dudum Pisis profecta. Fontanae librum de motu iridis¹⁾ nondum accepi, ut oportuerat. Medici observationes lubenter legi et cum fructu. Sic Whyttii morbos nervosos. Non ita Lonyi de melancholia.

Exspectamus splendidam editionem operum Harveyi et novos tomos Actor. Edinburgensium et Londinensium. Hillius pergit edere volumina. Exspecto volumen VII.

Genevensis legatio differtur, cum orator Gallicus nondum paratus sit.

Soleo ad Te in meis curis confugere. Dudum nihil respondet sculptor Lichtensteger, apud quem tutorem familiae Seligmanni

1) Felice Fontana, Dei moti dell' iride. Lucca 1765. BA II, 566.

icones meae sunt Orchidum. Poterisne per Ammannum rescire, quæ causa sit hujus silentii. Nolo ad Trewium scribere, occupatissimum senem. Paucorum Orchidum tabulas accepi, pleraeque sunt apud Lichtenstegerum, et jactura esset irreparabilis.

Nondum potui ad mea monstra accedere, qui labor praecedat Enumerationem. Interim nova expeditio ad colligendas plantas suscipietur.

Vale, vir ampliss., et me ut soles ama. Bern. 10. Febr. 1766.

Hae literae in mensa mea manserunt a die Mercurii, ab eo tempore summa 510 000 franc pro dote ordinis ecclesiastici Romani constituta fuit, ipsa vero distributio diu nos detinebit, cum praeterea functiones ecclesiasticae totae refoventur.

Multos libellos Parisiis accepi, pene omnes de illis serotinis partibus, in quibus se jactant ultra modum.

Gaudeo quod impressio Operum minorum inceperit, et spes sit non frustra me eos labores suscepisse. Pulli formatio prima prodit, in ovis nunc 442 inspecto.

Iterum vale et me ut soles ama. Die 14. Febr.

318.

(312).

Eorum quae nuncias, praestantissime Gesnere, nihil vidi. A Lichtenstegero nihil accipio neque fere audio.

Utique febris maligna in vinetis Vaudensibus et Lausannae circa 200 mortales abripuit, et passim in patria grassatur, etiam hic nonnulli aegri ab eodem malo necati fuerunt. Idem qui nobis etiam Vobis morbus fuisse videtur.

Senatus valetudinis 2000 annuos francos obtinuit ad restaurandam rem medicam. Ea summa inter medicos, chirurgos et artis obstetriciae doctores certa lege distribuitur. Morbi epidemici nos docuerunt quam parca auxilia saluti hominum parata sint.

Lente procedo in libro de Monstris; pulli incubatio sub prelo est, sed res civiles fere otium meum sibi sumunt. Aestate minus solemus occupati esse.

Heideggerum virum Ill. satis recte valentem vidi. Genevae die 20. advenisse Cl. viros exspectamus, certe Morgia transierunt suo tempore, infestissimo quidem caelo.

Saussurius promittit se librum de animalculis microscopicis absoluturum. Ab Hanoveranis urgeor. Proximo mense de his rebus oportebit desinire.

Vale, vir amicissime, et nos porro ut soles ama. Bernae die 22. Mart. 1766.

Pro missa dissertatione gratias ago debitas.

319.

(313).

Gratias ago de Lichtenstegero. Morosus homo videtur, multum a Seligmanno diversus.

Cives Genevenses nolunt nostros adire mediatores. Res videtur in longum protrahi.

Multi mortales etiam nunc pereunt Lausannae, etiam melioris sortis. Inter Suecica scripta est descriptio novi generis plantarum Scleriae, valde mei Marisci affinis, sed monoeciae. Si desideras, mittam.

Linnaeus mihi mirificum libellum, Clavem medicinae¹⁾, cum aliis dedicavit, Albino, Swietenio, Sauvagio et Rosenio; misit per postam.

Heri receptionem exterorum faciliorem addidimus, sublato, indirecte quidem, tributo, quo admissio redimebatur. Die Mercurii agitur coram CC de scholae reformatione. Res multos invenit renitentes.

Mea de arbitro supplicatio parata est et hoc ipso mense traditur. Experiemur inde, ut nostri sint responsuri.

Nihil novi habeo in re literaria.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bernae 11. April. 1766.

320.

(314).

Mitto Tibi per proximum currum, Gesnere praestantissime, volumen Actorum Suecicorum, in quibus delineatur Scleria, sermo Suecicus est. Addo Nova Gottingensia. Scholae nostrae obtinuerunt duos novos provisores et magistros geometriae, picturae, scripturae etc. non sine magna resistantia eorum qui literas parum amant. De cathedris novis nihil speramus²⁾. Gratus accipiam Vestros Commentarios, tum communicatum libellum Störkii.

Mea monstra lente procedunt. Nuper me appellationis iudicibus³⁾ adnumerarunt, non sine magna jactura mei otii, quod est perparvum.

Tissotus aegrotavit et convaluit. Morbus Lausannensis denique subsedit, extinctis intra duos menses in urbe parum populosa 106 hominibus.

Nostra civitas salubri aere gaudet. Vix otium habeo ut res

1) Clavis sanationis. 1766. 8. BA II, 279.

2) Die Vorschläge des Schulrates für die Obere Schule fielen durch. S. Haag, l. c. 145.

3) Die Ober-Appellationskammer der deutsch-bernischen Lande.

meas coram senatum proponam, fiet tamen saltem Majo mense horum dubiorum finis.

Vale, Gesnere carissime, et me ut soles ama. Bern. 22. April. 1766.

321.

(315).

Gratias ago, praestantissime Gesnere, pro Alet<h>ophilis, quos recte accepi, et proxime remittam, si aliquid Tibi fuerit curandum. Cum multo etiam fructu Vestra Acta legi.

Linnaeana quae putabam fuerunt Hortus Upsaliensis nescio quare ad me missus, qui dudum prodierat. Quassiam habuisti, novi praeterea nihil est, praeter id quod misi. Plantis exoticis sum pauperrimus. Petam aliqua a Burmanno. Monier apud me est, sed ad Tuum scopum vix utilis. Ipse proxime ad Tuam humanitatem confugiam; ad Enumerationem proxime accedo, uti classes aliquas elaboro, ita aliquas a Te desiderabo, quas commodes ad breve tempus plantulas. Initium facio a Syngenesia, toto ordine inverso, quod perinde est.

Gouanus horto Monspeliensi praefectus est, cum Joubertus morbo sit correptus, Sauvagius asthmaticus vix aedibus exeat. Scripsit uterque. Gouanus officia sua obtulit. Mittam ad eum Tuorum desideriorum catalogum.

A decimo retro die nocturno tumore uvulae laboro cum siccitate faucium et salso catarrho, qui somnum aufert. Itaque domo non exeo et paulatim per dietam et gargarismos conor me restituere.

Itaque vale, suavissime amicorum, et me porro ut soles ama. Bernae die 14. Maj. 1766.

Estne Tibi Orchis a marina mare puto vix diversa, longiore aliquanto trunculo, floribus rarioribus? Nobis nascitur, sed nunc legere nequeo. Habet etiam Rivinus proprio nomine.

322.

(316).

Nondum de mea fortuna definitum est, Gesnere amicissime. Regem audio velle per legatum cum republica agere, ut me dimittat. Nunquam tam prolixae voluntati restitero. Omnia pensitavi. Versor in republica, in qua nobilitas et gentium patriciarum praevalens potestas plurimum potest. Video quotidie in rebus summi momenti quam parum pleni amore patriae sermones mei proficiant; et quando circumspicio quam paucis inter nostros CC notus sim, quos ne de facie quidem satis noverim, non video quid ab eo tribunali sperare possim, cui sim extraneus. Ferrem ista, si vel otium haberem vel alimenta. Neutrum habeo. Non illud, qui vix unum in hebdomade diem liberum habeam. Non alimenta,

qui non solum genio meo detrahere cogor, sed filiis liberisque non possim ea praestare ornamenta, quae a suo in civitate statu putant sibi deberi. Omnia feci, ut amorem in patriam demonstrarem; si mutuum civium favorem non obtinui, ut porro morari possim, non video. Exspecto vero quid Hanoverani sint effecturi. Nam me denuo urserunt.

Classem Planipetalam absolvi. Si vero habes aliqua, Gesnere optime, quibus possis me sublevare, precor ne communicare graveris. Ad finem epistolae aliquas quaestiones addidi.

Miserunt ex Hispania Querii T. III. IV¹⁾. Longum erit opus, nam nondum C litera absoluta est. Tabulae multae, non pessimae, plantae aliquae parum notae.

Si velles mutuo mittere Schaefferi opus Entomologicum²⁾ cum Vestrorum bibliopolarum catalogis, gratum faceres. Non possum nummis sufficere. Roselli opus legi, parvi momenti.

Hilli Tomus VII adventat. Immatura fere sunt ejus viri opera. Incredibili labore Hieracia enucleavi, mea nempe. Species definire est difficillimum, cum folia immensum ludant dentibus, hirsutia etc. Synonyma expedire puto impossibile, praeter Linnaeum et aliquos nuperos.

In torfacea nuper excursionem molitus sum, parum fructuosam, sed exspecto aliqua ex Alpibus, quo chirurgus Ricou iter suscipiet.

Mone quaeso quae sunt plantae IX. X. XI. XII. XIII. Schmiedelii. Grimmius³⁾ non malas stirpes Eisenaco misit.

Possintne manuscripta quae Schmiedelius habuit, usui esse ad meum opus? Nihil vellem praetermittere. Totum funditus novum elaboro.

Transeo ad Radiatas; si quid habes quo caream, quaeso communica. Incolumes stirpes remitto.

Vale, Ill. Gesnere, et me ut soles ama. Bern. 21. Jun. 1766.

323.

(317).

Nondum (!) advenit, Gesnere praestantissime, et nihil adtulit.

Nomen non satis recte expressum est. Graviset nobis propria gens est, sic Grafenried, patricia utraque, sed utrumque nomen conjungi nequit.

Schmiedelianas tabulas mihi curabo, de communicatis Schaefferianis gratus ero.

1) José Quer y Martínez, Flora Española o historia de las plantas que se crien en España. Madrid 1762—1764, 4 vol. BB II, 516.

2) Jak. Christ. Schaeffer, Elementa Entomologiae. Ratisb. 1766, 4. BA II, 491.

3) Joh. Fried. Karl Grimm (1737—1821), praktischer Arzt in Eisenach, später in Gotha. Gurlt-Hirsch II, 656.

Duchesne misit mihi suum de Fragariis opus¹⁾, in quo minutissima quaeque adtingit. Ego ad eum misi *Preßlinge*, varietatem vulgaris *Fragariae* constantem calyce ad pulpam adhaerente etc.

In opere pergo. De *Chamaemelo Alpino Tuo* *hinterm Deyrli* lecto fac quaeso sciam, num vere propria planta sit, nempe a meo *Pyrethro sericeo palmato* differt flore squamis distincto et foliis laxioribus, magis multifidis potius quam palmatis.

Conyza flore nutante proprium *Bupthalmum* est, nusquam visum nisi inter herbas olim *C. B<auhini>*. Num quaeso de eo aliquid Tibi innotuit?

Spero aliqua ex *Alpibus Italiam* inter et *Valesiam* me habiturum, tum *Geneva*.

Longum video opus, cum mihi parcus sit otium. Nunc tamen, siquidem captum est, non desistam.

Multae rationes sunt, quae discessum suadent, aliquae interne in meum statum ingrediuntur. *Fortunae* non sufficiunt, liberi queruntur non suppeditari sibi quae necessaria sint, otium ad studia interim nullum fere superest, et videtur mihi durus labor, cum quo victus parari non possit. Rex ut videtur cum nostris agit, ut dimittant. Neque ut fateor in libera republica ea ad bonum publicum efficiendum facilitas, quae est cum bono principe; et quae bona verba a senatu habui, publice ab alijs carpta fuerunt.

Res Genevenses in crisis deducuntur; eam laetam et utilem fore persuadeor. *Heideggerus Vester* plurima taedia et fastidia patitur, et pene desperit, quod doleo me audire.

Vale, vir amplissime, et me ut soles ama. Bern. die 5. Jul. 1766.

Queriani operis habeo T. III. IV. Non multa bona in eo reperies, passim tamen plantam aliquam peculiarem. Nuper amici cum historia inoculationis *Madriti* peractae miserunt pro planta ignota vulgarem *Calendulam* spontaneam, nempe parvifloram spontaneam.

Cum hae literae mecum casu mansissent ob longissimam sessionem iudicii appellationum, accepi interim fasciculum, pro quo plurimas gratias Tibi ago, summe delectatus *Hieracio rapifolio*, rara planta, a nostris diversa.

De *Soncho altissimo* non ita autumo.

Accepi *Mem. de l'Acad. de Montpellier* et aliqua *Bohadschi*.

Die *Veneris* rus meum peto, sed brevis erit absentia, cum res *Genevenses* nos omnes quotidie occupent.

Iterum vale, optime *Gesnere*.

1) *Histoire naturelle des Fraisiers*. Paris 1766. 12. BB II, 540.

324.

(318).

Paratas habeo quas Tibi mitto tabulas Oederi, Gesnere optime, cum Tuis plantis siccis; cum fasciculus major sit, exspecto occasionem, nisi aliter jubes.

Chamaemelum Alpinum adeo non est civis. Gratus adgnosco quod tempori de more monueris.

Conyza flore nutante vera planta est, eam recognovit in herbario Hagenbuchiano optimus la Chenal.

De tabulis botanicis gratulor.

Ego in opere botanico pergo: adtigi Papilionaceas, inverso enim ordine progredior. Non erit amplius, sed multo emendatius auctumque speciebus variis.

Nihil admodum ex Alpibus misit D. Ricou, nisi Astragalum, quem confirmavit ochroleuco similem, glabrum, pulposum. Clusianum jam ante annum invenerunt.

De mea sorte quid Deo placuerit proxime dispalescet. Videtur, utcunque me ab ea cogitatione lacerari sentiam, me ipsa ferrea necessitas ex patria pellere; adeo infestor contrariis rumoribus et odiis.

Has literulas precor misero trade homini cui inseribuntur. Hillii 2 volumina nunc lego, quibus Isostenones continentur. Imensum opus plenum novis figuris, nusquam a Linnaeo citatum.

Vale, vir optime. Si ad sequentes classes plantas aliquas habes, quas credes me utiliter visurum, eas quaeso communica recepturus illaestas: inspexisse enim sufficit, nunc quando in opere versor.

Die 13. Aug. 1766.

325.

(319).

Ecce, amicissime Gesnere, quae desiderasti, adjecto sermone Tissoti.

De me meoque statu viderit rerum arbiter. Non videor mihi contra immerita odia civium praevalere posse.

In plantis utique pergo et solatia invenio taediorum vitae. Id maximum malum est, quod sufficiente ad alendam familiam fortuna destituor. Etiam nunc filius natu major 1000 imp. desiderat, ut in societatis Horneae aedes Amstelodami recipiatur, insignis summa, quam oportet in nomen meum recipere. Hanoverani interim mihi iterum inducias ad ver proximum dederunt, mortalium optimi.

Astragalus, quem novum putabam, est penultimus Linnaei, nova quidem in Europa civis.

Novam Crepin muricatum detexit Cl. la Chenal¹⁾.

1) La Chenal an Haller, 20. Aug. 1766, Epist. V, 281: „Sed aliam Crepis

Hillii icones deproperatae, etsi splendidae, mihi videntur emendatiores nunc parari, plurimas tamen plantas habet, alibi vix pictas. Primum folium novae Enumerationis ex prelo accepi, non erit absque suo decore volumen, vix excedet volumen prioris editionis, etsi plurima accesserunt; ipsum opus totum aliud erit et in difficultibus generibus valde minus malum. Accessi ad Tetrapetalas siliquosas. Kleemannus misit operis Roeseliani partem Belgice versam et aliquantum auctam¹⁾.

Misisti aliquando Viciam flore ochroleuco. Num ea vere in Helvetia provenit? In Germania non infrequenter reperi.

Cras Paterniacum proficiscor de limitibus civitatis disquisiturus. Spes est gramina me forte aliqua in iis calidis paludosis reperiturum.

Vale, Gesnere praestantissime, et nos ut soles ama. Bernae die 26. Aug. 1766.

326.

(320).

Dies elapsi sunt quindecim, ex quo redux sum. Paterniaci ob civium lites missus invisus Goumoens, Tissoto collocutus, aliquantum etiam stirpium legi, maxime paludosarum.

Iam ter miseram Oederi tabb. 241—300 cum Tuis propriis mecum communicatis stirpibus. Negligentia aliqua domesticorum hanc moram passae sunt, nunc autem advenisse credo. Mitto etiam Nova lit. Gott. cum l. scheda meae Enumerationis, in qua nunc feriis usus sum totus.

Puto me literas ei fasciculo addidisse, nullas enim Tuas reperi, ad quas non responderim. Quaerebam, nam memini, num quisquam in Vestra regione Viciam ochroleucam Riv. reperisset.

Noriberga nihil praeter Schmiedeliana vidi, et de insectis 1. continuationem, quam Kleemannus misit, 2. versionem Roeseliani operis Belgicam cum nonnullis Kleemanni adnotationibus.

De Zimmermanni acrimonia doleo²⁾.

Ita est. Summam non modicam annuam CC viri nobis concesserunt; res ipsa autem nondum est in ordinem reducta³⁾. Geislerum Sinnero de Ballaigues commendabo.

Lego nunc maxime Hillii T. VII. VIII., multas tamen raras

speciem nuperrime reperi, hactenus a nemini, ut puto, observatam ad agrorum vinearumque margines extra portam Riehanam etc.⁴⁾

1) Die holländische Übersetzung der „Insekten-Belustigungen“. BA II, 399.

2) In seiner Schrift „Von der Ruhr unter dem Volke im Jahre 1765“ hatte Zimmermann den Zürcher Arzt Conrad Rahn angegriffen. S. dazu den Brief Zimmermanns an Haller vom 18. Okt. 1766. Ischer, 1911, 75 ff.

3) Haller bekam erst drei Jahre später ein festes Gehalt von der Regierung.

plantas delineavit. Scripsit saepe nimis festinanter et crasse. Dedit fere Isostemones exceptis difformibus. Exteras multas primus delineavit, Marcgraviam, Houstoniam, Ananassae raras species, Campanulas, Convolvulos. In his ipsis Isostemonibus nunc laboro.

Tamen ex Valesia habeo 1. Veronicam trifidam sessilem, 2. Alysson novum Gerardi.

Opus excrescit paulum super priorem molem, sed parum, multo vero erit minus malum. Addo historiam Alpium naturalem, ad meas adnotationes factam. Exteri Alpium fabricam ignorant.

Sarconius¹⁾ Neapoli in homine insensibilitatem pleurae confirmavit, et pleurae in pleuritide integritatem.

Müllerus Venetiis marinas quasdam Confervas legit, quas mihi misit.

Vale, vir Ill., et me ama. Die 23. Sept. 1766.

327.

(321).

Duas epistolas Tibi debeo, Gesnere amicissime. Me vero retinet catarrhus vehementissimus, ut caput vix possim ad scribendum curvare. Videor mihi cum fructu vaporem theae per nares recipere, postquam noctes insomnus transegi.

In Enumeratione imprimenda pergitur, ego in scribenda, sed nunc erit desistendum, cum publica negotia omne sibi otium sumant. Retrogrado ordine ad Isostemones perveni. Vix autem poterit de prelo exire ante finem 1767, et moram injiciet turbabitque has res omnes meus discessus.

Mirarer hanc Dentariam potuisse se oculis tot botanicorum subducere. Erat etiam fama de Epimedio. Non valde credo his plantis adeo unico loco nascentibus.

Gratum facies, si Chalerei notas communicaveris.

Hillianae icones fateor mihi non videntur ejusmodi ut limatum Tuum opus subire mereantur, sunt tamen passim characteres rari, ut Acurae, Coelestinae, Meridianae, novarum plantarum, eos si placet descriptos mittam. Prodierunt hae classes, ex quibus possem mandare quas cupias:

Syngenesia

Umbelliferae

Isostemones, Asperifoliae, Stellatae, Vasculiferae (non arboreae).

Nunc ad alteram epistolam venio²⁾.

1) Michele Sarcone (1732—1797), Arzt in Neapel: Istoria ragionata dei mali osservati in Napoli nel corso dell' anno 1764. Neapel 1764. Gurlt-Hirsch V, 179.

2) Antwort auf Gesners Brief vom 10. Okt. 1766 (Epist. V, 294 ff.), der von einer Viehseuche handelt.

Leges nostrae scriptae jubent cutem in his morbis defodere, ut vix possimus alia praecipere quam quae dudum edicta sunt. Et certe Swietenius etiam in homine vestes phthisicorum vendi vetat emive, cutem vero pilosam, recentem, magis odore foetidi ulceris imbui credas quam vestes. Omnium consensu ajunt, si bos odorem perciperit infecti bovis, certissime infici. In rebus autem publicae valetudinis severiora consilia sequi oportet. Nos in pago Sulens subito occisis omnibus armentis luem uno citu suppressimus, quae in Burgundia et Valesia perenni vitio serpit. Ea si videtur Vester magistratus considerabit. Nos, si commercia infectorum pagorum, liberarum praefectarum, et coriorum inprimis, non severissime interdicerentur, cogemur vigilibus eam regionem circumdare, ne ad nos lues serpat. Coria enim ad nostros adtulerunt. Facile credo sicca non nocere, postquam a coriario macerata fuerunt, sed prius nocent. Courtivronii experimento alia contradicunt. Vale Tu vero, vir cel., et me porro ama. Bernae 15. Oct. 1766.

328.

(322).

Pergit adhuc catarrhus maxime infestus, etsi solas nares occupat. Itaque domi me continebo. Totus sum in plantarum Helveticarum Enumeratione, et passim aliqua desunt, ob quae ad amicos necesse est recurrere, tantum ad spectandas plantas. Itaque desiderarem, si id fieri potest absque Tuo incommodo:

Caucalidem tenuifoliam, quam ita definit Cl. Gerard, ut mea specimina omnia sint umbella trifida.

Dentariam trifoliam

Bupleurum 7. angulosum Linn.

Alsinen segetalem

Sium segetale.

Pro Lobelio devinctum me adgnosco, pervolvam et restituum.

Pictorem quaeram. Si Geislerus adveniet, omnibus praestabit.

Si Viennensia mecum communicaveris, gratum facies.

La Chenalium nobiscum fuit, qui solus plantas animose sequitur. Video ejus opus¹⁾ in longa et remota tempora differri. Recte ille, cum quotidie aliqua addere possit. Ego vero, utcunque mea fata jubebunt, aut patria excedere cogar aut tamen plantas deserere.

Zimmermannus valde dolet, quod opus suum²⁾ suppresseritis. Certe nondum totum caput 8. et 9. legi; quae vero vidi, nullas mihi iras mereri videntur. Nimis utique minuta habet plurima et in-

1) Eine Flora von Basel, zu der ihn die Freunde und besonders Rud. Staehelin aufmunterten. S. seinen Brief an Haller vom 26. Jul. 1776. Epist. V, 274.

2) Von der Ruhr unter dem Volke. S. o.

digna prelo, in sua solitudine ita apertis ad humilia oculis, ut magna ei videantur quae sunt minima. Quae de Rahnio scripsit, ea ut audio jam de prelo prodierunt. Herrenschwandius ante 10 diem in Poloniam profectus est.

Tu vero vale et nos porro ut soles ama. Bern. 1766 31. Oct.

329.

(323).

Quae de Zimmermanno scribis, suavissime Gesnere, illubens percipio, qui hominem in adfinitatem meam receptum amo. Misit ad me codicem, non eam partem in qua de Cl. Rahnio agitur, sed eam in qua V. D. M. offendit. Reperi equidem alienissimo loco excursionem in theologos, imprimis qui nolunt morum doctrinam urgere. Codex nunc in manibus Stapferi est, censoris ecclesiastici. Poterit puto erasis nonnullis paginis imprimi. Quam sim a jurgiis alienus, Tu vir Cl. optime nosti. Video Schmiedelium perpetuo in me carpendo versari. De Albino et Haenio nosti. Haec tamquam vitae humanae quoddam vectigal fero; nemini molestus esse cupio [et] neque ero in magno quod sub prelo est opere. Ita vellem Z<immermannum> animatum esse.

Valde grata advenerunt specimina Sisonis sepetalis et Bupleuri angulosi. Redibunt quae mandas cum stirpibus quas Tibi nunc seligo, si vis. Aliquot mensibus a stirpibus nunc describendis abstinebo, cum lux ad id opus necessaria sit. Interim amplam praefationem adornabo. Ex prelo lente prodit.

Catalogum remitto et aliqua mandata. Signum denotat me duo exempla desiderare.

Hirzelii libellus mihi nimis fere fusus videtur, etsi Blaarerus omnem omnino laudem meritus est¹⁾.

Ridiculo malo impediatur ne foras prodeam. Ab angustis caligis cutis imi abdominis et oppositi pectinis laxa et pustulosa est, sed convalescunt eae nugae. Sanguis enim mihi semper ad vulnuscula sananda aptus fuit.

Vale et me ut soles ama. Die 14. Nov. 1766.

330.

(324).

Satis recte valeo, Gesnere amplissime, et in seligendis pro amicis plantis versor.

Censor Bernensis Zimmermanni acriora delevit, quae erant in V. D. M. scripta.

1) Zimmermann an Haller am 24. Nov. 1766. Ischer 1911, 82: „Avez-vous lu l'éloge de M. Blaarer par le Dr. Hirzel? à Berne on le trouvera trop libre, à Zurich il l'est trop peu.“

Utinam prodeat liber D. Pallas¹⁾!

Gagnebinus revixit et de quibusdam locis plantarum natalibus monuit. Sunt fere hortenses casu aliquo indigenae factae, ut Raphanus rusticanus, dubiae cives. Audire tamen convenit.

Amplum penum herbarum misit D. Grimm Eisenaco. Willichius²⁾ observationes botanicas edidit, quarum exemplum ad Te cum plantis mittam proxima forte hebdomade. Immensum cumulum evolvi, nihil tamen valde habeo quo Tu careas.

Nunc ad praefationem accedo et brevem quamdam Alpium historiam, quantum ad botanicam pertinet. Ita dies obscuriores transibunt, ut ad plantas redire possim.

Harveyi splendidam editionem Londinenses dederunt, non valde auctam tamen, brevemque et austeram vitam cum icone.

Miserunt Gottinga Nova, sed ita incompleta, ut nesciam num Tibi mitti debeant, neque enim cohaerent.

Nuperi duo tomi Mem. de l'Acad. des Sc. in rem nostram valde inanes fuerunt; lithologica sat bona dedit Guettardus. Botanica dudum emortua videtur.

Tournefortius Lotharingicus D. Buchodz³⁾ prodiit, valde mediocre scriptum, et ut puto infidum, quod plantas contineat nunquam in Lotharingia nascituras, qualis est Tithymalus arboreus.

Vale et me ut soles ama. Bernae die 29. Nov. 1766.

331.

(325).

Ridiculas moras nectit Lausannensis typographus, et interdicit ne plantas mittam, ex unica enim scheda Physiologia pendit.

Nondum audivi de fasciculo Noribergensi, aveo habere, ut sciam num Orchides aliquas Seligmannus sculpserit, sed Eisfeldius Bernae me non offendit. Vellem videre catalogum. Post nuperas meas subinde aegrotavi, ex catarrho naris gravi. Tempestas pluvia et insalubris fuit. Muscos tamen nonnullos et satis pulchros corasi, quos ante proximum annum non potero mittere.

Accepi incredibilis puchritudinis librum Lyonneti historiam Erucae Saligeneae. Nihil in eo genere scriptum est, quod ad eam praestantiam accedat.

Maximas difficultates experior in describendis meis nugis bo-

1) Simon Peter Pallas (1741—1811), der bekannte Sibirien-Reisende und Naturforscher. Gurlt-Hirsch IV, 468. BA II, 564.

2) Christian Ludwig Willig, Schüler Hallers. BB II, 370 f.

3) Pierre Joseph Buchodz, Tournefortius Lotharingiae ou Catalogue des plantes qui croissent dans la Lorraine et dans les trois Evêchés. Nancy 1766. 8. BB II, 505.

tanicis, et fere absterreor, cum tantum videam laboris. Ita catalogus rariorum et Emendationum T. III. tardatur.

Haec cum scripsissem, fasciculus Tuus advenit, Gesnere optime. Si venit apud vos Scopoli, quaeso eme mihi. Diu enim exemplo carebo, quod mihi destinat.

De D. Jacquin etiam Popowitsch scripsit. Multa habet nova genera.

Vale, mi Gesnere, et me ama. Bernae 1. Dec. 1766.

332.

(326).

Heri, Gesnere amplissime, Valentinum quemdam nostri elegerunt, potissimum professores, amici mei Geislero non defuerunt.

Plantulas perpaucas puto Te accepisse cum Willichio. Nova Gottingensia vellem perfecta, malui differre.

Vellem, ubi commodum erit, mitteres Pallas, Systema naturae, et Viennensia, et inter ista potissimum Disp. Hartmann¹⁾, Patrenac novam editionem, Plenck, Storck, etiam chemica, haec tamen minus celeriter desidero. Accepi Parisiis praeter commentarios 1759 et 1763 etiam Astruciani operis²⁾ tres tomos, Petiti 2 vol. de partibus retardatis³⁾, du Hamelium de conservando grano⁴⁾ Hautefeuille obs. medicas, alia.

Oblitus sum folia addere mei operis, fiet olim. Prodierunt 16. Ego in Alpium sum historia naturali. Si posses de lapidibus quibus rupes Alpestres constant aliqua docere, gratum faceres. Nostratibus sunt aut schista aut lapis compositus ex mica, quarzo, aliis particulis, male cohaerens. Marmora etiam ex Alpibus Grindeliis devolvuntur, cotis Alpinae non memini.

Z<immermannus> monita mea aspere accepit: imputavit me ob rationes politicas improbare videri, quae vere non improbem. Calidus homo, qui decies in vita sua commercium mecum omne abruptit, meque semper habuit facilem ad obliviscenda quibus me laeserat. Omnes isti philosophi, qui ad accuratum gnomonem aliorum gesta volunt exasciare, solent sua jura urgere, aliena nulla admittere. Ita V<oltaire>, ita Rousseau, Dalembert, Diderot, Maupertuis, ita juniores eorum discipuli.

Tota nostra poetarum schola, et princeps B. dudum mihi suc-

1) Franz Xaver Hartmann, Primae lineae institutionum botanicarum Cl. Cranzii. Wien 1766. 8. BB II, 570.

2) Jean Astruc, Des maladies des femmes. Paris 1761—65, 6 Bde. BA II, 72.

3) Antoine Petit, Recueil de pièces relatives à la question des naissances tardives. Paris 1766, 2 vol. BA II, 337.

4) Du Hamel du Monceau, Supplément au traité de la conservation du grain. Paris 1765. BB II, 219.

censet, nescio ob quam causam, et iste omnia mecum commercia abruptit. Facile haec feruntur. Grimmus Eisenacensis mihi pulcherrimum Muscorum penum. misit, etiam plantas alias, sed illi potissimum perutiles. Nihil quidquam alioquin ex Germania habui, nihil misit Cranzius, ne librum quidem mihi inscriptum, neque Scopolius.

Gratissimum faceres, Gesnere optime, si mihi aperires, quo canali usi Vestrates sua Viennam mittant. Haberem quod Cranzio mitterem.

Vale et me porro ut soles ama. Bernae die 10. Dec. 1766.

Nosti Parisiis detectum esse totum schema novae reipublicae, quod Rousseau dictavit. Repraesentantes obtinere student, plenam democratiam. Speramus nunc omnia iri compositum.

333.

(327).

Accepi, amicissime Gesnere, fasciculum Vindobonensium, quem quantum possum expedio, eo celerius finem inventurus, quod horum libellorum aliqui apud Vos venales sint. Addam folia Enumerationis, quorum nunc 20. prodiit, et porro pergam. Parcissimum mihi otium est, cum res Genevenses nos totos occupent, ego vero consilio secretiori ad haec negotia sim adjunctus. Proximo die Veneris, ut puto, de principe quaestione decidetur, quid nunc rejectis ab infelici plebe optimis conditionibus sit agendum¹⁾. Maxima pars mali est a Rousseaui principiis.

Video humiliores aliquanto montes calcariis lapidibus abundare: Pyrenaei ex schisto fiunt, etiam nobis ad 6000 et ultra supra vallem proximam pedes schisti sunt, frequens etiam Geisberger. Gratum esset plura discere.

Elenchum Zoophytorum retinebo.

Acta Monspeliaca misit Rastius junior, Parisiensia varia bibliopolae: plurima ad botanicam pertinentia, de partibus retardatis Petiti, tum pro inoculatione apologia. Exspecto ex Anglia varia etiam gramina ab Hudsono. Enumerationem suspendi per publica officia coactus.

Z<immermannus> ut semper facit succenset, quod ejus satyras non probem, sed respiscet. In omnia nova, etiam in R<ousseau>i licentiosa principia propendet.

Aliquot libellos ex Vestris catalogis excerpseri, quos desiderarem, si placet mihi curare. Hoferus quaedam promittit.

1) Von der Volkspartei, den „Repraesentanten“ bedrängt, mußte die Genfer Regierung zu den Vermittlern Zürich, Bern und Frankreich Zuflucht suchen. Ein Friedensprojekt der Vermittler wurde jedoch von der Bürgerschaft verworfen. Dierauer IV, 360.

Filius ex gravi morbo convaluit. Inopportuna anni parte iter ingredi cogitur. Si quid in Belgium velles mandare, lubenter perferet.

Tu vero vale et me ut soles ama. Bern die 19. Dec. 1766.

334. (328).

Quod serius redeunt perhumaniter a Te communicata, amicissime Gesnere, morbus meus satis gravis fuit, ex quo nunc fere 18. die decumbo. Abscessus in perinaeo, bulbo urethrae circumscriptus, maximus a die 20. Dec. mihi subnatus, die 26. ruptus multum fudit putridi sanguinis, nunc et febris subsedit, et abscessus pene evanuit. Ob cataplasmata tamen lectum servo. Quare nuper demum libellos legere potui; si omnes non redierunt, mone, conquiram, quando lectum licebit relinquere.

Zieglero quaeso meo nomine gratias dic.

Filius cras Amstelodamum petit.

Genevenses cives in suae urbis ruinam conspirasse videntur.

Multa nova accepi, etiam a Bellardo¹⁾ plantas, Allionius enim herbas fere deseruit, alias Carlsruha exspecto a D. Six Amstelodamensi viro patricio.

Paulatim ut in lectulo fieri potest ad studia redeo.

Si fieri posset, vellem ad Cranzium cum Vestris tomos meorum opusculorum mittere, quando prodierint. Sumtuum partem facile feram.

Subrisi quando Plenckium video H. et L. inter illustres anatomicos numerare.

Viennensia illa fere magni momenti sunt.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Die 7. Jan. 1767.

335. (329).

Hactenus convalui, Gesnere praestantissime, ut lecto surgam, caeterum nondum prae debilitate gradus scandere aptus.

Haesit apud me patronae epistola, sed eam habebis proxime, exspecto enim Gottingensia. Addam folium C et nupera folia X. J. 2. AA.

Exspecto responsorias a Cranzio; ubi advenerint, mittam ei aliqua. Arduini librum²⁾ si per opportunitatem communicare poteris, gratum facies.

1) Carlo Luigi Bellardi, Botaniker in Turin. BB II, 549.

2) Pietro Arduini, Memorie di osservazione e d'esperienze sopra la coltura e gli usi di varie piante che serviv possono all'economia. Padova 1766. BB II, 486.

Genevenses cives, dum auctoritatem aliquam sibi addere conantur, subvertunt patriam.

Bellardus pulchras aliquas plantas misit. Allionius totum se praxi dedit. Neocomenses eadem cum Genevensibus petulantia vecti regem provocant, sunt haec dogmata Rousseau, qui neminem ulli cedere suadet.

Utor otio, ut catalogum bibliothecae absolvam. Princeps magni nominis de coemendis libris aliqua aperuit, ut tamen usus eorum mihi liber sit¹⁾. Ita possem tranquille in patria consenescere. Mirum est quam parvae vires mihi a tantillo corpore supersint, mentem tamen integram sentio et reculas meas per hoc otium compono.

Haenius per Bonnetum amicitiam suam mihi obtendit, quod meas opiniones in nuperrimis operibus revocassem. Nescio quid iste homo sibi velit. Nihil habeo opinionum, quod revocem nihil. Forte ab omnibus desertus antiquiores inimicitias vult terminare, ut vacet nuperis. Nam in X. adhuc parte suae Rationis medendi indignis vocibus adversus me utitur.

Vale, Gesnere praestantissime, et me ut soles ama. Bern. 21. Jan. 1767.

336.

(330).

Convalesco, Gesnere optime, sed genua debilia sunt, ut foras prodire nequeam. Interim varia perfeci, librorum potissimum catalogum. Constant mihi 12000 fere imperialibus, quae summa ad alendam familiam sufficeret, sed ejusmodi felices coemtus non spero.

Habeo fere 120 exempla tractatus de aquis nostris salsis; si Vestri bibliopolae vellent ea honesto pretio sua facere, liberarem me eo onere.

Haenium suspicor illaetabilem vitam degere Vindobonae et omnes undique habere inimicos, siquidem neque X. tomum Rationis imperatrici dicaret, neque XI. procedit, quem ipse scribit interruptum esse. Quare forte, ut ejusmodi homines solent, novas nactus inimicitias ad pristinas frigidior est.

Harduinum mihi curabo. Remittam cum schedis Enumerationis plantarum, quae nunc Lausannae ob vilis pretium imprimetur.

Accepi ex Anglia libros, potissimum etiam fasciculum plantarum a Hudsono, qui suam Floram vult noviter recudere.

Multa valde absurda de Heideggero Vestro circumferuntur de

1) Haller an Zimmermann, 11. Febr. 1767, Bodemann S. 75: „On m'a fait quelques propositions pour acheter ma bibliothèque. Je l'ai calculée, et j'ai accepté — mais je doute, que cela ait lieu.“

libellis Thurici propter garantiam foederis Genevensis sparsi. Inepti homines non intelligunt, quanto Genevensibus sit salutaris, fratres eorum Helvetos ea garantia defungi, non tectum illum et potentissimum foederis custodem¹⁾.

Haec scripseram, quando ventriculus ob vitam sedentariam debilior nescio quomodo in indigestionem incidit, quam diarrhoea horarum nunc 24 non sine torminibus secuta est. Non puto tamen magni momenti fore morbum.

Vale et ut soles me ama. Bernae die 4. Febr. 1767.

337.

(331).

Ecce, Gesnere optime, N. L. Gott. et aliqua folia mei operis, quod typographi suspenderunt.

His diebus ob turbas Genevenses in senatu utroque fui. Res hodie compositae fuerunt quantum ad nos, hisque R<ousseau> discipulis, scholasticis subtilissimis frena imposita; utinam Vestri consentiant: ii enim animi plebis Genevensis, ut nihil ab iis nisi difficillime possit sperari.

Optimam Schinziam spero convaluisse.

Ad filii uxorem scripsi, ut exemplar „Marsigli“ Kuhnansio emat et Tibi reddat, sed ecce schedulam.

Libros lubenter sumerem, etiam Leeuwii Lexicon, cujus 4 volumina habeo. Incredibile est quanta mala opiniones R<ousseau>nae patrauerint. Etiam apud nos fanaticos habemus, quos vix in tam severa aristocratia valemus continere. Nusquam nisi in democratia recte vivi²⁾ etc.

Ad Enumerationem elaborandam redii.

Hilli IX. volumen prodiit. Hudsonus novam Florae editionem parat.

Allionius duo genera edidit Linderiam et Bassiam. Adjeci fasciculo, sed cum ad Saussurium pertinent, quaeso remittes.

A summo mane ad noctem deliberationes nostrae continuantur, heri 11^{1/2} horis cum incommodo meo in uno loco sedi. Hodie spero

1) Frankreich.

2) Vgl. Haller an Zimmermann, 11. Febr. 1767, Bodemann S. 75. „C'est bien, Monsieur, de l'aprobation de la Société de Schinznach que je me defende. Il y a sans doute des personnes de merite. Mais les principes de R[ousseau], qui y regnent en bonne partie, feront pour le gouvernement ce que l'atheisme fait pour la religion. Ces idées injustes et orgueilleuses d'egalité universelle vont rendre tous les gouvernemens foibles et incapables de procurer la paix publique. En voila le fruit: Genève peutetre perdu pour jamais, Zurich troublé par des seditioneux, ici meme le gouvernement vacillant et incertain; Neufchatel se precipitant dans quelque malheur.“

meliora, sed oportet literas claudere. Vale, vir optime, et me ama. Bernae die 13. Febr. 1767.

338.

(332).

Accepi, Gesnere humanissime, fasciculum cum Eislebiano desideroque catalogum eorum quae Tibi debeo, ut possim denique aere Tuo me solvere. Respice quaeso num inter folia Novellarum Göttingensium non sit n. III. 1766, quod inter mea deficit; de n. 93. 94 inquiram.

Arduinus tamen aliqua habet propria, etsi figurae florum malae sunt, et parum botanicus videtur.

Inter plantas Helveticas video desiderari *Haberſchehen*, pruna saepe praecocia. Si quid de ea planta Tibi notum est, doce me quaeso. Neglexi, cum pro varietate haberem. Acerrime in opere progredior, ejusque nunc editio accelerabitur, cum in duobus prelis is labor urgebitur.

Pretium mei opusculi, quod 10 est foliorum, statuerem 5 batenorum, charta enim scriptoria major est, si alios libros offerent, auscultabo. Desidero omnes Leeuwii tomos praeter 11. 12. 13. 14.

De Tuae nepotis convalescentia gratulor. Etiam ego ad solitos nimios in republica labores redii, sed eorum parte me certo solvam, quos tolerare nequeam.

Si commode potes hac verna tempestate aliquot Gladiolos Vestrates mihi curare, rem gratam facies.

De Genevensibus cras Soloduro audiemus. Nondum fracti sunt eorum hominum animi, et valde metuo ne asperi quid in eos Galli sint decreturi. Quis fulciet montis illabentis ruinam?

Inter mea Pentaphylla novam civem reperi, ex Sibiria alias delatam, foliis pinnatis profunde incis. Ejus alias Tibi exemplar mittam cum schedis meis. Neglexeram inter vulgaria illa subtus tomentosa. In Valesia provenit. Ad Liliaceas perveni, ordine semper retrogrado.

Vale et me, Gesnere praestantissime, ut soles ama. Bern. die 28. Febr. 1767.

Si exemplar posses communicare *Isopyri* vel *Aquilegiae thalictrifolio*, valde me devincires. Remitterem illaesium.

339.

(333).

Non possum, Gesnere optime, mihi persuadere, meum nomen esse tantum 7. 17 x.; respice quaeso, multo majus esse persuadeor.

Curabo n. 14., de 93. 94 jam rescripsi.

Mittam quos habeo libellos salinarios. Nunc vix credo esse

100. Numerabo. Iterum paulum aegroto. Ad aeris torrentes sensum acutissimum habeo; unde febris die 8. et 9., nunc diaeta ex carne convalui, sed superest tussis permolesta. Quare domo non excedo.

Utique progredior in Enumeratione, passim autem me aliqua morantur, et saepe vulgatissimis stirpibus destituor recentibus.

Arduini icones mediocres, ejus Salicem monandram ignoro.

Hudsonus suam Floram avet recudere.

Hillii T. IX. exspecto. Videntur ultimae stirpes aliquanto melius exprimi.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bernae die 11. Mart. 1767.

340.

(334).

Nescio ut rationes Tuas pro amicitia Tua ponas, sed putabam nomen meum majus esse. Sit itaque nullum, si ita jubes. Oederi opus fere eo pretio venit.

Advenerunt folia pluscula N. Lit. Gott. Tibi destinata.

Repugnat Tscharnerus et vult sibi tradam salinare opusculum. Nolo cum nobili viro et amico meo contendere. Praestat adeo reddas Denzlero sua volumina, si repugnat, offerrem alia mea opera, v. g. exemplum equidem pretiosius Elementorum; de quo agemus, ut compleat pretium, sed id vellem taceri. Misit etiam Müllerus opusculum suum, Marsiglius Fungum Canariensem. Jacquinus prolixè plantas offert. Eas valde aveo celeriter accipere. Si ergo tempus est, vellem continuo significares, ad quem possit Tigurum mittere, sumtus quoscunque rependam, spero etiam de Bassio.

Accepi olim a Te Saxifragam cum nomine Pyrenaicae tridactylitis latifoliae. Locum quaeso natalem significa.

Burmannus Linnaei discipulus misit compendium Systematis naturalis. Hagarum illud omni stupiditate stupidius improvidus emi¹⁾.

Tertium volumen Taurinensium prodiit; ajunt ultimum futurum, et societatem iri dissolutum.

Nunc sum in Graminibus. Scheuchzeriam, nunquam a me repertam, num nosti aliquem habere in patria locum natalem?

Desiderarem:

Scirpum min. capitulo breviori et crassiori falso Scheuchz.

Cyperoides min. 288 Scheuchzer p. 412

— 283 — 428

— 282 — 435

— 272 — 452 t. II. f. 5.

1) BB II, 552.

Gramen 255 Scheuchzer p. 220
 247 Scheuchzer p. 134
 244 — p. 163

Liliaceum fragile.

Haec si carere non potes, illaesa remittam. Vellem difficilem classem pro dignitate tractare.

Vale et me, vir optime, ut soles ama. Bern. 21. Mart. 1767.

341. (335).

Ecce, ill. Gesnere, Nova Gottingensia, Marsiglium, qui non valde Tibi proderit, [et Nova Gottingensia] et 6 libellos de salinis.

Ad Jacquinum scribam, ut fasciculum det ad Praunium.

Gaudeo quod Scheuchzeria non interciderit.

Volumina 6 priora venduntur 6 libris 10 baz., volumina VII et VIII libris 7, ita fiunt librae 50. Demta parte tertia manebunt librae $33\frac{1}{3}$. Quod aequum puto. Superat aliquantum pretium Leeuwii. Aliqua poterit addere Denzlerus, v. g. testamentum aliquod Graecum pro filio et dictionarium Latino-Germanicum. Fasciculum per currum mittam et Vestra per currum exspectabo.

Poetarum felicior sors apud Vestros est.

Vale, amicissime Gesnere. Obruor negotiis. Ama Tuum Haller. 27. Mart. 1767.

De hac permutatione vellem taceri.

Quaeso hanc chartulam fac curari.

342. (336).

Nunc denique, Gesnere praestantissime, Graminum historiam absolvi. In ea desidero adhuc nonnullas species, quarum benevolam communicationem expeto; eas cum prioribus illaesas Tibi remitto.

. Gramen arundinaceum locustis viridispadiceis loliaceis brevius aristatis, Scheuchzer p. 266.

Gramen caninum vineale Scheuchzer p. 143. In ejus locusta arista incurva debet.

Gramen pratense villosum panicula argentea dilute fusca. Quae misisti eorum alterum erat Aira praecox, alterum Gram. loc. flavescens. Si prior indigena est, nova erit civis. Redibit ad Te illaesa.

Gramen bromoides pratense foliis praeter culmum angustioribus rara lanugine villosis.

Sed super omnia desidero exempla sicca aut si fieri potest recentia Sempervivi globulis decidentibus.

Haec caeterum Gramina omnia lente vitreo acui novo labore

vinctus sum, ut species et genera accurate definirem. Expunxi Agrostin, Poam, Melicam, Dactylon Anthoxanthon etc., non necessaria genera. Emendavi genus Panici, pessime a Linnaeo consarcinatum, et in universum studui, ut genera, ordines et species tutae essent. Festinationis ubique signa reperi manifestissima, synonyma bis repetita, species male diminutas, male auctas. Manserunt tamen dubia aliqua, inter quae sunt quae in hac epistola aperio. Nunc Jacquini plantas scrutari necesse est et Cranzii novam distributionem Umbelliferarum¹⁾. Urgebo eum laborem, ut si placeat Cranzium Tibi mittere possim. Funditus enim totam classim evertit, et rejectis involucris ex semine solo resistant. Quare v. g. Sanicula, Daucus et Caucalis idem genus faciunt, tum Apium cum Tragoselino, Cicuta cum Coriandro. Pulchras Umbelliferas Austriam sibi proprias habere ex Jacquini stirpibus video.

Vale et me ut soles ama, Gesnere praestantissime. Bernae die 23. April. 1767.

Heri D. Sinner²⁾ thesaurarius Germanicae ditionis factus est. Novus inde eligitur ut puto legatus ad res Genevenses. His diebus D. de Deschan regis sui mandata de Neocomensibus aperiet.

343.

(337).

Accepto humanitatem Tuam, Gesnere optime, et Gramina, si per currum miseris, absque eorum detrimento comparabo, etsi nunc eam classem absolvi, sed nunquam deest emendationi locus.

Remissem quae Tua habeo, sed variis curis distentus tempus non invenio. Filiae nuptiae³⁾ hoc ipso die celebrantur.

Cranzianos libellos mittam, oportet legere hominem. Institutiones utique parvi sunt momenti, Umbelliferas vero ex semine noviter et funditus constituit et habet aliquas parum notas.

Jacquinus fodinarum director, sed possum errare, Schemnitzii habitat, rei certe minerali praefectus; ejus enormem fasciculum nunc evolvi, non sine fructu.

Genevensium res fere obdormiunt. Acres vero ingruunt lites Neocomensium.

Cras Lentulus 2500 homines exercebit Thunii.

De novo horto gratulor, cujus fructus erunt laetissimi.

Si legeres Z<immermannum>, tamen subrideres. Est in ho-

1) Heinr. Joh. Nepom. Cranz, Classis umbelliferarum emendata. Wien 1767 BB II, 484.

2) Friedrich Sinner (geb. 1713). Leu, Suppl. V, 528.

3) Die Hochzeit von Hallers dritter Tochter Albertine mit dem Obersten Beat Ludwig Braun.

minis ingenio nativa vehementia, quae placet et ea excusat quae velles moderatiora.

Turinensia mittam.

Gouanus in cathedram Sauvagesii successit. Molitur varia, in libro suo tamen satis sterilem reperi. Misit icones posthumas Richerii de Belleval, quas edere vult, satis certe malas, ut tamen passim novas plantas exprimant.

Proxime exspecto Suecica varia, quae vero jam Octobri mense mare superarunt. A Sixio opulento Amstelodamensi, plantarum studioso, etiam aliqua exspecto.

Pergunt prela, et nimis pene celeriter, Enumerationem excudere. In addendis oportebit subjungere quae ex recentibus plantis emendare potero.

A. de Saussure in botanicen ardet, possunt ab eo aliqua utilia exspectari.

Vale et me ut soles ama. Bern. die 30. April. 1767.

344.

(338).

Puto accepisse Te nunc, Gesnere praestantissime, fasciculum meum. De Graminibus Scheuchzeri plurimas grates ago. Si nunc mittes, erit addendum humanitati Cl. Scheuchzeri, quam gratus adgnosco, ut per duos menses mihi has plantas utendas relinquat. Neque enim ante mensem potero eas inspicere, cum manuscriptum meum de Graminibus Lausannae sit, describendi causa.

Hortus Vester utique aliquamdiu otium Tuum arcebit, deinde vero plurimo erit Tibi et usui et delectamento.

Satis novi Gottingenses; schedas passim hiare solum mei exempli vitium est. Curabo ut reparetur.

Gramina Tua inter schedas mei operis minoris inserui.

Tristia nova de Werlhofii valetudine accepi, qui ita decumbit, ut de lecto surrecturum vix spes sit. Amitto antiquum et fidelem amicum, neque mea aetas spem fert ejusmodi damna sarciri posse. Tristia varia mihi nuper acciderunt, magisque meum animum deprimunt, quem dudum fortem fuisse meminerim. Deinde ingrattissimis laboribus distineor, inter quos princeps est illa appellationum camera, de qua me nolunt dimittere.

Sixii plantae adventant.

Neocomenses tamen adventant ad diem a nobis praefixum 25. hujus mensis.

Genevenses cives minus concordēs eo faciliores forte erunt ad accipiendas conditiones. Multum nunc vexantur, quod vaccas montes petituras Galli morati sint.

Nullum dudum mihi cum Martinio commercium est.

Vale, amice suavissime, et me ut soles ama. Bern. die 13. Maj.

345.

(339).

Accepi, optime et humanissime Gesnere, fasciculum Scheuchzerianum. Post mensem potero ad eum accedere neque diu morabor, sed oportet 1. manuscriptum meum de Graminibus descriptum esse, 2. mea Gramina ligata.

Sumtus pro Jacquini plantis fac Schulthesius numeret, reddam filio.

De Werlhofio omnino despero.

Si Sixii plantae aliquid continent memorabile, curabo ut habeas. Adventant. Cranzius tamen plantas Austriacas, quarum multis caremus, recentes vidit.

Struvium in Germaniam iter facientem de Sempervivo globuligero curando monui. Quaerere jussi Cachontiam Strasburgi.

Inter notas meas reperio Te Chamaesilium Anglicum Curia habuisse. Fac quaeso ut quae de ea planta nosti sciam, nempe an vere sit indigena. Ea non egeo, habeo optima exempla Anglica.

Multum laboravi in Juliferis, quorum characteres neglexeram, et qui persaepe a Linnaeanis longe differunt. Tenta Juniperum marem et diversitatem miraberis.

Novae catenae mihi injectae sunt. Ob res Genevenses consilium secretum, cui me recensuerant, selectos assessores rebus praeparandis, inspiciendis foederibus, aperiendis mediis destinavit; ei selectui me immiscuerunt, certe laboriosissimo. Eae res in pejus quotidie ruunt, et repraesentantes¹⁾ statum patriae suae manifesto convellere tentant, ut ipsi in altiora officia aditum sibi aperiant.

Si Bassiam desideras, possum mittere.

Pinus illa Altdorfina Crein mihi non videtur a vulgari dissidere. Si notas aliquas discriminis Zieglerus habet, gratum faceret aperturus. Accepi Systematis Linnaeani T. I. P. I., quadrupeda, aves, pisces, si desideras mittam. Caeterum in fasciculo Suecico nihil fuit in Tuos usus servitutum, nisi forte Clerkii Papilionis. Florula Finnica nullius momenti est.

Vale, vir Cl., et me ut soles ama. Bernae die 23. Maj. 1767.

1) Die Volkspartei im Gegensatz zu den „Negativen“, der konservativen Partei. S. Dierauer IV, 356.

346.

(340).

Accepi Cranzium, vir Cl., et remitto schedas aliquas, tum tabulas operum minorum et exempla Trewio et Morgagno et Ludwigio destinata.

Per delineationes grates ago. Fac, vir Cl., sciam num recte Buxum feminam interpreter. Tres valvae cornutae discedunt per maturitatem, earum nunc fiunt bina, angulum intercipientia, et in media valle lingula incumbens cordiformis.

Betula ab Alno evidenter differt calyce sexifido, floribus nullis trifidis.

Dono Tibi destinabam Turinenses.

Mitto Linnaei nov. Systema et Clercquium.

Pergo in Muscis, intercurrunt notae eorum quos apud Te vidi aut in Tuis catalogis et qui mihi nulli sunt. Numerus caeterum enormiter increcit, et sunt 60 et ultra Hypna; eorum aliquas Dillenianas species vere distinctas esse dubito, quae meae sunt, eae certe verae sunt species. Plurima Brya Dilleni vera ex definitione Hypna sunt, perichaetio donata. Linnaeus praeter omnem expectationem pauperrimus est. Nam credo in septentrione abundare Muscos.

Folia addo operis quod alacriter pergit, sed vereor ne me tabulae morentur, de quibus nihil audio dudum. Haec omnia mitto die 19.

Accepi ab Hudsono Prunum insiticiam, quae etiam circa Kirchberg provenit. Accepi Sempervivum globulis deciduis, quod idem videtur cum Sempervivo fimbriato, tantum quod florum sit, Schmiedelii planta flore viridi.

De vegetabilibus dissertationem Argentor. accepi, vereor ne parvi sit momenti.

Si occasio Tibi est, ut Cl. Schulthesio colloquaris, dic quaeso, „me anxium esse ob tabulas ante biennium missas Noribergam, de „iis velle me accurate doceri, nostros typographos in causa tamen „aequa ad ipsos spectante segnes esse, rogare, num Noriberga „mercatores fidum habeat, per quem de ea re Noribergae inquiri „possit. Si habet et hanc causam benevole vult suscipere, tunc „me missurum quaestiones, quas necesse sit urgere“.

Vale, suavissime Gesnere, et me ut soles ama. Bern. die 13. Jun. 1767.

Si Sempervivum tectorum habetis ut puto, mittes quaeso plantam, quando floreat, ut cum aliis Sempervivis comparem.

347. (341).

Versor nunc inter Gramina, utrius Scheuchzerorum? Video Te ea in ordinem redigisse; utilissimum mihi fuerit ea evolvere. Jamdum vidi Juncum acutum secundum frustra a me quaeri, qui nullus sit.

Clerquius habet papiliones n. d. nulla loci natalis diversitate. Nihil est, si potes eo uti, cur careas. Desiderarem catalogum librorum Vestratium. Nondum accepi Seda: gratus exspecto. Sempervivum flavum habeo, proprios homines in M. Sylvium mitto, ut quaerant; ab iis, a Battirano et a Levizzario aliqua spero. Rogo Cl. Schulthesium, ut Levizzario significet, per quem posset is medicus Chiavennensis plantas mittere. - Tandem a Lichtenstegero responsum tulimus, injustissimum hominem a 2 annis nihil tetigisse meorum. Quare priora repeto, similia mandata habet Monat bibliopola, sed amicum Schulhessii praefero, et icones omnes meae sunt, meo aere delineatae. Egeo omnibus, remissurus ad Lichtenstegerum, si erit diligentior, duas et alias duas ut expediverit. Haec Acta etiam vidi; accepi Floram Norvegicam Gunneri¹⁾ et Pallasii Zoologica. Cl. v. Saussure <iter> 20 dierum in glacialia Sabaudiae suscipit, a quo multa spero; ipse quidem historiam eorum montium molitur, sed Muscos et plantas non negligit.

Video Scheuchzerum habuisse Plantaginem unifloram ex fundo lacus, cujus etiam florem describit et depingit.

Res Genevenses ad summum periculum veramque crisis deductae videntur.

Vale, Cl. Gesnere, et me ut soles ama. Bern. die 6. Jul. 1767.

348. (342).

Adfert Tibi, Gesnere humanissime, Cl. Schulthess Clerquium. De Sempervivo grates ago. Quod prius misisti hortense fuit; undenam si placet advenit? Cl. Schulthessio negotium de tabulis meliori modo commendo. Nam tota editio haeret et suspensa est, cum tabularum Orchidum explicationes et numeri debeant in textum referri. Quare necessario inspiciendae sunt delineationes Orchidum et omnes.

Pulchra est collectio Graminum, sed errores intercedunt. Absolvi Graminibus adfines. Pigerrimus bibliopegus intercedit, ne expediam Gramina vera.

Res Genevensium in statum fere desperatum redactae sunt, ut summus metus est, ne et ipsi et nos et universa Helvetia severis-

1) Der Bischof J. Ernst Gunner, Florae Norvegicae Pars I. Nidrosiae 1766. BB II, 562.

simas poenas pro protervia paucorum demagogorum luant, cum via regia et portus in pago Versoi nihil possint mitius portendere. Interim optimae horae mihi inter haec fastidia pereunt, et opus meum vix ulla capit incrementa. In Lichenibus versor.

Multa spero a Gen. de Saussure, qui 20 dies itineri suo glaciali impendit. Aliqua etiam a Thoma in M. Sylvium misso.

Nundinae mihi persteriles videntur.

Bellardus plantas et botanicas observationes ad me misit, juvenis, sed in summas Alpes saepiuscule missus. Allionius praxi se totum dedit.

Vale, amicissime Gesnere, et nos porro ama. Bernae die 15. Jul. 1767.

349.

(343).

Post tres septimanas, Gesnere ill., communicationem plantarum Scheuchzeri beneficii loco habeo. Facillimum mihi nunc erit eas comparare, cum opus meum intra paucos dies, quod ad me pertinet, absolutum sit.

De Schmiedelii Fungis Tibi relinquo iudicium, num mihi utiles sint futuri. Ex montibus inter Valesiam et Vallem Zermatiam Lychnis (Saponaria) petalis ochroleucis ovatis Allionii relata est, et plurimum Sempervivum lutescens (globulis deciduis), quod ego ad plantam spontaneam constituo.

A Saussurio adhuc exspecto.

Hic deteximus Lentibulariam minorem.

Impressio lentiuscule procedit, neque me invito, cum subinde aliqua accedant. Alyssi, nam ita videtur, novam speciem Coppetius invenit, sed unicum habeo exemplum. In paludosa Moratensia ipse excurro his diebus.

Spero de Soncho palustri, latiturum alicubi.

Immaturum valde opus Schaefferi de Fungis ¹⁾ et hominis ignari.

Rhazen de Variolis nitide Arabice excusum ²⁾ Hunterus misit.

Werihofius die 29. Jul. diem obiit maximo meo cum detrimento et desiderio. Ipse Munchhusius tristem nuntium misit, cum plurima amoris sui significatione.

1) Jak. Christ. Schaeffer, Icones et descriptiones Fungorum quorundam singularium et memorabilium. Ratisb. 1761. 4. Ferner: Fungorum qui in Bavaria Palatinatu et circa Ratisbonam nascuntur Centuria I. et II. Ratisb. 1762—63. 2 Vol. BB II, 473.

2) Arabisch nach einer Leydener Handschrift herausgegeben und ins Lateinische übersetzt von J. Channing. London 1766.

Ad Gramina Scheuchzeri proxima hebdomade adcedo. Gramina vera volo, nam ad fines expedivi. Plurima tamen mihi usui fuerunt.

La Chenalius dudum silet¹⁾.

Hae literae heri, cum ad 2. meridiei horam a summo mane iudicem agerem, neglectae sunt. Nihil interim novi evenit.

Vale, vir praestantissime, et me ut soles ama. Bern. die 19. Aug. 1767.

350.

(344).

In mediis Scheuchzeri Graminibus nunc versor, Gesnere amplissime, plurimo cum fructu, eaque proxima hebdomade absolvam. Totum etiam opus hactenus ad finem perduxim, ut multa emendatione egeat. Quare si Scheuchzerianas plantas possim communicatas accipere, pergratae erunt, et ante hiemem poterunt absolvi, si Fungos Schmiedelii inspexisse non fuerit inutile.

Schaefferus fungos aliquos habet mihi incognitos, plurimos autem bis et ter repetit.

Fasciculi venatorum advenerunt. Saussurius pulchras aliquas stirpes reperit, novam civem unicam; solet nimis magna itinera diuturna facere. Ricou nihil reperit. Opus ipsum pergit alacriter de prelo prodire, plurimasque schedas Tibi destinatas praesto habeo, quas cum Novis lit. Gottingensibus mittam, quae quotidie exspecto.

Munchhusius ad me scripsit de successione Werlhofii²⁾. Suasi Tissotum et continuo ad eum scripsi. Non credo iturum, et vix reperio quem commendarem.

Ad bibliopolas de defectibus scripsi, et eos curabo.

Nos Genevenses illi demagogi pergunt torquere; rescribe quaeso an Vestros audiveritis, an Tiguri etiam nunc degant.

Sed etiam impeditus transitus Sturleri, ad syndicatum transalpinum legati, nobis incommodissimus accidit, cum sit ob eam injustam liberi itineris restrictionem cum aula Gallica litigandum.

Neocomenses cives ad CC viros appellaverunt et admissi sunt.

Utique Liliaspodelus est quem inter les Passes et Finalet Ricou reperit, nam ea exempla nunc habeo.

Inertissimi bibliopolae opera minora iterum ob chartae defectum suspenderunt. Vix 20 folia supersunt, sed par apud eos est cum paupertate inertia. Berolinenses petunt, ut sibi physiologiae ele-

1) Wegen einer schweren Dysenterie-Epidemie mußte La Chenal seine Korrespondenz unterbrechen. S. seinen Brief an Haller vom 22. Aug. Christen, S. 53.

2) Als kgl. Leibarzt in Hannover. Bekanntlich bekam Zimmermann die Stelle.

menta minora Germanice scribam¹⁾. Puto, quando Enumeratio absoluta erit, me ad id opus accessurum.

Vale et me porro ut soles ama, vir amplissime. Bernae die 29. Aug. 1767.

351.

(345).

Heri, Ill. Gesnere, Nova Lit. Gott. cum iis quae deficiebant et foliis Hist. stirp. Helv. ad Te curavi. Gramina Scheuchzeriana absolvi cum plurimo fructu plurimumque Tibi etiam eo nomine debeo, vellemque numen Cl. Scheuchzeri nosse, qui Tua ex commendatione mihi haec volumina communicavit. Reliquae plantae siccae perinde mihi gratae erunt. Caeterum ne locustam quidem de his Graminibus decerpsi, etiamsi plusculis destituor.

Nova de Genevensibus grata fuerunt. Hic fere similiter res gestae sunt, tantum ut senatus arcanior ad CC de iis hominibus referat. Id fiet die 7. et unanimi, uti putatur, consensu eorum petita refutabuntur. Immodestissimi homines his addiderunt nuperime, ut nos (vobiscum) sua petita Gallicae aulae et transmitteremus et commendaremus.

Nihil velim nocere Cl. Hirzelio et lubenter de meo consilio desistam. Neque enim meum fuit, sed Haudii, et mihi quies magis quam novus labor placebit.

Sonchus arborescens erit gratissimus.

Vosmactii aliquot animalia accepi.

Valtelinenses amici, qui multa promiserunt, nihil mittunt, et interim opus integre de prelo prodit. Nam hinc Gramina sub prelo sunt, inde Tomus I. ad finem properat. Ego sum in catalogo editionum citatarum, qui satis longus erit.

Anglica nova dicunt Albinum diem suum obiisse²⁾. An quidquam de ea re audiisti? Metuo de salute Pringlii, valde dudum silet. Etiam Matyum³⁾ ajunt languere. Amisi alium discipulum, Aurivillium⁴⁾, Linnaei collegam.

Hunc audio a Jacquino primum Tomum systematis ad plantas pertinentis edere. Is Jacquinus facillimus et humanissimus est botanicorum.

Vale, Ill. Gesnere, et me ut soles ama. Bernae die 5. Sept. 1767.

1) Eine deutsche Übersetzung kam 1769 in Berlin heraus.

2) Er starb erst am 9. Sept. 1770.

3) Matthieu Matys (1718—1776), ein gebürtiger Holländer, lebte in London als 2. Bibliothekar am British Museum und Sekretär der Royal Society. Gurlt-Hirsch IV, 168 f.

4) Samuel Aurivillius (1721—1767) promovierte 1750 in Göttingen und war von 1756 an Professor der Anatomie in Upsala. Gurlt-Hirsch I, 230.

Jacquinus misit ad me haec semina Ligustici Gallici. Si in horto Vestro provenient, exemplum ut mihi serves rogo.

352.

(346).

Advenerunt quae promisisti, Ill. Gesnere.

Plantarum icones aveo videre, si absque ullo Tuo incommodo fieri potest.

Die Veneris nostri legati Solodurum petierunt. Metus est ne aliqua nova legatus Gallorum proponat.

Bassius perhumaniter scripsit et plantas promisit, quas exspecto propediem.

Totus sum in labore infinito seligendarum pro amicis plantarum. Multis nimis sum oneratus, aliquas paucissimas possideo. Caeterum opus ad finem spectat. Tabula generum, index, addenda et dedicatio supersunt elaboranda.

Tristissimum caelum viribusque funestum est.

Gratum est si Levizzarius monebitur, sed de eo parum spero.

Tissotus, qui archiatri munus videbatur acceptare, nunc detrectat.

Filia Hallera feliciter heri filiam enixa est.

Davilam¹⁾ propediem legam.

Excusa inutiles literas, nolui non gratias agere pro iis quae misisti.

Vale et mihi ut soles fave. Die 10. Oct. 1767 Bernae.

353.

(347).

Pro communicatis tabulis gratias interim ago, Gesnere amplissime.

Opus erit immensum et eximium.

Etiam ego sum inter subscriptores operis Trewiani, sed dudum eam schedam neglexi.

P. Belgradus mihi opusculum misit de Archimedeae Cochlea. Fontana leges irritabilitatis constituit, ingeniosus homo et accuratus. Bassius mihi aliquas pulchras Bononienses stirpes misit; de Valisneriae flore dubia non solvit, adeo Itali in tanta opportunitate carent curiositate.

Levizzarius scripsit, promisit aliqua, fessus est se nihil praestitisse.

Plantas Scheuchzeri praeter Gramina in cistam dedi, quae continuo redibunt. Vellem Cl. Schulthessius curaret sumtus, quos

1) Catalogue systématique des curiosités de la nature et de l'art, qui composent le cabinet de Mr. Davila. Paris 1767. 8. BB II, 579.

rependam. Negliguntur enim facile fasciculi, quorum sumtus prae-
numerati fuerint.

A Gouanio fasciculum exspecto, adierat montes Pyrenaeos.

Die Mercurii et nos de iudicio rerum Genevensium agemus, et
ut puto consentiemus vobiscum et cum Gallis.

Neocastrensia confusissimo sunt in statu. Amica aliqua ten-
tamina cum civibus tentantur, ut conditiones accipiant, sed cali-
dissimi sunt horum hominum animi.

Ita asperrimum scriptum Genevenses cives contra magistratum
ediderunt.

Fac quaeso ut additam chartulam Cl. Schulthessius accipiat.

Placet Fäsius praeter elogium Genevensium, quod alienissimis
temporibus edidit, neque ii homines merentur, quibus unicum numen
in nummis erat antequam alterum accederet, ambitio summi imperii
in civitate sua. Emendavit aliqua, non omnia, et ne nostra quidem
notissima insignia civitatis Bernensium.

Vale, vir ill., avocor ad consilium secretum de Genevensium
rebus. Vale et me ut soles ama. Bernae die 24. Oct.

354.

(348).

Ecce, Gesnere optime, catalogum Eisfeldii et desideria mea.
Veritus sum, ne exemplo manuscripti egeres.

Vix credo Te in aere meo esse, adeo Tua humanitate abutor.

Cista plantarum nunc Tigurum ut puto advenit. Mitte quaeso
ad Cl. Schulthess hanc chartulam.

Habeo folia Tibi debita, sed aliis mista. Fac quaeso, ut iterato
ea nominentur.

Superflua per opportunitatem aliquam remiseras. Tomus 1.
absolutus est, 2. imprimitur et tertius incipitur¹⁾.

Morgagnus fasciculum non accepit. Vellem circiter tempus
nosse quo abiit. Nihil valde novi habeo, exspecto aliqua Amstelo-
damo, etiam proxime prodituram Floram Indicam Burmanni²⁾. Taedet
florarum, quae fere aridissimi sunt catalogi, Indica tamen ob novi-
tatem minus displicebit.

Genevenses inviti cogentur se submittere, sed eorum perti-
nacia immensum et ipsis et nobis damnum concivit, civitatem no-
vam, quae sub ipsis pene moeniis surget nomenque geret Choiseul.
Infinita inde taedia praevideo. Quin muniatur jure possumus con-
tendere, ipsam civitatem, quin aedificetur nullum jus habemus.

1) Die Historia stirpium indigenarum Helvetiae inchoata.

2) Nic. Laur. Burmann, Flora indica, accedit Zoophytorum indicorum nec
non prodromus florum Capensis. Amsterdam 1768. 4. BB II, 489.

Legisti procul dubio D. Gesneri breve, tamen elegans de cochleis Parisinis scriptum.

Trewius dudum me negligit, Schmiedelii ut puto causa.

Discipulus meus Sidrenius¹⁾ in locum Aurivillii succedit.

Ex Suecia de plantis Capensibus opusculum spero, communicabo, ut adveniet. Literae caeterum in ea regione languent, amputatis fere undique subsidiis et remunerationibus.

Pallas in Russiam abit, thesauris naturalibus praepositus.

Vale, Ill. Gesnere, et me ut soles ama. Bern. die 7. Nov. 1767.

355.

(349).

Habeo, Gesnere ill., folia deficientia, et occasione nata mittam. Civitas Versoi²⁾ certissime surgit, aemula Genevae. Eo portae transferuntur, et salis Genevensibus et Valesiacis mittendi comatus.

Gottingenses jussi mittere quae deficiunt.

His diebus ob appellationes occupatissimus fui. Opera lente, sed tamen procedunt. Fasciculum Parisiis accepi, practici et anatomici argumenti, ad rem naturalem vix quidquam, sed exspecto novos commentarios.

In Belgium de Linnaeo scribam.

Musaeum L. Ulr. habes, alioquin offerem, nam duplex habeo.

Res Neocomensium pessimo in statu, et quis finis futurus sit, nemo providet. Genevae cives variis repraesentationibus magistratum fatigant, nativi³⁾ vero auctoritatem et privilegia veterum civium ambeunt. Astrucii posthumam Monspensulanae Academiae historiam⁴⁾ accepi. Mirum est, quam paucos alicujus famae viros haec antiquissima facultas ediderit.

Accepi modo Cranzii defensionem. Fac quaeso sciam, quis sit Jesuita, et quid opusculum ad quod respondet, et si habes, ad paucos dies communica.

Hanoverani melioribus conditionibus pergunt Tissotium invitare.

Vale, Gesnere optime, et me porro ut soles ama. 25. Nov. 1767.

1) Jonas Sidrén (1723—1799).

2) Der auf französischem Boden bei Genf gelegene Flecken Versoix sollte ausgebaut, mit einem Hafen und einer Zufahrtsstraße versehen werden, um den Handel mit der Schweiz auf französischen Boden hinüberzuziehen. S. E. Blösch, Die Erbauung der Stadt Versoix, Jahrbuch f. Schweiz. Geschichte IV, 1879, 49—162.

3) Die „Natifs“ bildeten eine große Klasse alteingesessener Bewohner, die in Genf geboren waren, aber keine politischen Rechte besaßen. Dierauer, IV, 361.

4) Mémoire pour servir à l'histoire de la Faculté de Médecine de Montpellier, von Lorry herausgegeben. BA II, 72.

356.

(350).

Pro dissertatione grates ago meritas, Gesnere ill. et humanissime. Vellem autem me aere Tuo liberare.

Exspecto quotidie schedas Gottingenses, cum iis mittam folium 5. Enumerationis et alia folia desiderata et Musaeum Louisae, parvum donum, quod omnino aequi bonique consulas.

Nova nulla habeo alicuius momenti. Tissotus num condiciones Hanoverianorum adoptet ambigit. Eum hodie exspecto (Nachträg-lich:) Non advenit. Opera mea lente procedunt. Nomenclatorem adorno pro iis qui majora opera non emunt, et quem possint circumferre in excursionibus¹⁾. Muscos satis numerosos Alpinos accepi, novos aliquos, sed in opere meo jam expositos.

Proximo vere exspecto Burmanni Floram Indicam.

Bergius²⁾ multa de Linnaeo queritur, discipulorum osor, nisi opera sua arbitrio et censurae suae velint submittere.

Aliqua ex catalogo decerpsi, quae si placet mihi coemeris.

Levizzarius et Battiranus promissores Itali nihil mittunt stirpium. Neocomenses aequissime tractati furere videntur, libellos famosos edunt, adfines advocati regii larvati invadunt, typographiam regiam turbant, denique se in laqueos ipsi inducent. Rex fulgurantes literas ad tres pagos catholicos dedit, qui censum Neocomensium satis imprudenter susceperant. Disertis nobis bellum minatur rebellium subditorum fautoribus.

Genevae res ad compositionem vergere videtur. Magistratus minores plerosque non elegerunt.

Vale, Ill. Gesnere, et me ut soles ama. Die 15. Dec. 1767.

Noster bibliopola nunc promittit se hos libros comparaturum. Quare nolo Tibi molestus esse. Herbas Scheuchzerianas advenisse puto. Velis per occasionem monere Cl. Schulthesium, ut sumtus utriusque itineris et cistae indicet, quos refundam.

357.

(351).

Misi heri, Gesnere illustris, folia, quae Tibi et bibliopolae desunt, puto omnia, tum Musaeum Reginae mihi valde inutile, quod aequi bonique velim consulas.

Laetissimus est de missione Petropolitana nuntius.

Gottingensia et icones nondum advenerunt.

1) Der Nomenclator ex historia plantarum indigenarum Helvetiae excerptus erschien 1769 in Bern.

2) Peter Jonas Bergius (1730—1790), Professor der Naturgeschichte und Pharmacie in Stockholm. S. Epist. V, 328.

Schwenkii librum¹⁾ accepi et Meezii Tom. II., quo mirifico studio systema a cotyledonibus repetitur. Filius Amstelodamo scripsit feminam opus herbarium parare cum multis iconibus.

Meezii T. I., quem in duplo possideo, lubentissime Tuus erit, exiguus liber, pictis iconibus. Opera mea sensim procedunt. Intra 3 hebdomadas tomus 2. absolutus erit. Tertius, in quo Cryptogamia, sub prelo est. Hillii 2 tomos exspecto. Vellem tamen videres, nam characteres ei proprii sunt.

Vale, mi Gesnere, veterem amicum ama et vive felix. Bernae die 27. Dec. 1767.

358.

(352).

Felix anni principium ut Tibi sit vota mei animi sunt sincera et perpetua. Marchionissa de St. Simon auctor est operis botanici, quod Amstelodami cum iconibus prodit²⁾.

Hillium quando licebit mittam. Spero me interim tomum 9 et 10 accepturum. Erunt in universum 27.

Gratum erit opus Diemstalii. Varia ex Anglia et Suecia exspecto, exque Gallia nescio quae impedimenta haec omnia morantur.

Etiam mea opera languent, tabulae tamen paratae sunt pleraeque. Misera res est cum nostratibus typographis et bibliopolis luctari. A Comite Orlowio Petropolin invitatus sum, cum prius bibliothecam meam se coenturos offerent. Id valde fuisset gratum familiae meae; patriam vero vix reliquero ea aetate, si relinquerem, peterem Gottingam, ubi omnia mihi notiora sunt. Praestiterit forte inter liberos et amicos consensescere, etsi me male habet, quod vix quidquam verae utilitatis patriae valeam praestare.

Tu vero vale, praestantissime Gesnere, et me porro ama. Bernae die 2. Jan. 1768.

359.

(353).

A quindecim retro diebus aegrotavi, Gesnere clarissime, et heri primum lectum reliqui. Malum fuit summe dolorifica tentio in nervis pectoris anterioris et exterioris, ut dolentius vix quidquam cogitari possit. Galli nuper epidemicum malum vocaverunt la Gripe.

In patria quidem varia bona habeo, filias quatuor adultas,

1) Martin Wilhelm Schwenke, Beschryving der gewassen welke meest in gebruyk zyn. Haag 1766. BB II, 417.

2) Les Jacinthes, de leur anatomie, reproduction et culture vom Marquis de St. Simon. Amsterdam 1768. BB II, 591. Daß die Marquise das Werk herausgebe, wie Haller oben schreibt, war ein falsches Gerücht.

filium, otium, postquam me solvi intolerabili jugo iudicii appellationum. Sunt etiam amici aliqui. Est quod displiceat, ego vero nolim a me repeti aut publicari. Russiam tamen vix adibo.

Has voculas scripsi, ne forte de mea valetudine metueres.

Novis conditionibus Tissotum adgressi sunt.

Nescio quid de libris meis Anglicis factum sit, quos dudum exspecto; caeterum vix quidquam novum vidi, neque Schwenkius inter nova meretur legi. Opera mea pergunt prorere: de anatomicis sola tabula deficit, botanici tomus alter his diebus finem adtinget; omnia, ni tabulae morantur, plena erunt mense Martio.

Vale, Gesnere amplissime, et me ut soles ama. Bernae die 27. Jan. 1768.

360.

(354).

Non quidem visus sum mihi, Gesnere suavissime, periculose decumbere, febris erat modica, neque spiritus deficiebat. Facile sentiebam, dolorem esse in musculis pectorali et serrato magno aut eorum potius nervis. Verum atrox utique dolor erat. Febris est non magna, aegriuscule cortice Peruviano suppressi se passa est. Vires necdum recuperavi neque cubiculo exeo, incipio autem ad studia mea redire.

Dissertationes Viennenses etiam accepi, et acta bavarica mihi curabo.

Lentissimi mortalium dimidium folium Opusculorum Anatomicorum perficiendum habent. Historiae stirpium 2 tomi absoluti sunt et imprimunt Fungorum caput ultimum, sed res infinita est, praefatio ampla, longa enumeratio auctorum, index, quae non alia. Ante mensem Aprilem opus prodire non poterit.

Nihil novi vidi. Audio a Spielmanno spem esse historiam Senegalliae Adansonianam prodituram. Filius scribit mense Aprili Systematis Linnaeani T. II. venturum.

Parisini in primo conventu inoculationem approbarunt; oportet autem tres esse conventus, ut legitimum decretum fiat.

Die Veneris fasciculum mitto foliorum operis mei cum Novis Litt. Gott. Quae deerunt fac quaeso sciam, ut suppleam.

Vale, vir optime, et me ut soles ama. Bern. die 3. Febr. 1768.

361.

(355).

Praesto habeo Tuas literas, quae defectus indicant, quos doleo interrumpi, et potissimum folia I K L M N tomi tertii qui videntur alio aberrasse, sed requiram.

Diemstalius advenit.

De acerbitate Z<immermanni> displicent, quae a Te percipio.

Genevensium cives nolunt nisi plenam democratiam accipere. Numerosas disputationes ex Belgio accepi; nescio quomodo fit nullius momenti fore, meras lectionum repetitiones. Trewii etiam decas VI. et VII. advenit, et offendit certe pene ridicula validis coloribus expressa, et icones appendicis Blakwelliae.

Ego me ad opus Bibliothecae sensim praeparo. Infiniti indices consulendi et praeparandi sunt et passim aliqui libri deficient.

Estne apud Te Boymii Flora Sinensis ¹⁾? Parum de ea spero sed oporteret tamen vidisse. Solarerii pulchras aves accepi, nusquam citat Brissonium. Sic Albinus in Annotationum VII. de ossibus refutat Monroum etc. et physiologorum hypothesibus irascitur, qui a pressione m<uscu>lorum osteogeniam derivant, et simulat nunquam se mea adeo numerosa experimenta vidisse. Mirus homo.

In opere magno semper tabulas desidero aliquas, et metuo ne sero adveniant, caeterum paucae schedae de prelo exiturae supersunt. Occasio fuerat ostendendi quam parum Schmiedelius historiam Gesneri tenuerat. Ita refutavit me, quod cum I. B<aubino> iter fecisse scripsissem. Et tamen I. B<aubinus> ejus itineris in Braulium montem multis locis meminit.

Habeantne Vestri Kölpin de Fabrica mammarum ²⁾? Rogarem ut mitteres.

Vale et me ut soles ama, Gesnere praestantissime. Bern. 17. Febr. 1768.

362.

(356).

Ecce, amice optime, folia mei operis quae deficiebant.

Thevenotum ³⁾ nostra bibliotheca habet; putabam merum excerptum continere Boymii, pauca enim folia sunt, quae <non> Boymii.

Filius Linnaeum mittit; nimis sero adventarit, excuso meo opere, cujus soli Amanitae sub prelo latent. Continebit 2470 plantas, quarum 800 ex Cryptogamia.

Schm. non bene vobiscum agit.

Trewius dudum silet nihilque remittit suorum operum.

Saussurius Parisiis profectus est, ab eo de statu artium aliqua spero me auditurum.

Hanoverani acrius quam unquam in meum adventum urgent et ut puto obtinebunt. Nosti quem animum in me cives mei ostenderunt; ferri possit promotionis desperatio, sed aegre familiam alo;

1) Michael Boym, Flora Sinensis flores fructusque porrigens. Wien 1656. BB I, 492.

2) Alexander Bernhard Kölpin (1739—1801): De structura mammarum. Greifswald 1765. BA II, 603.

3) S. BB II, 515, 522.

in libris, in humanitatis officiis cogor genium meum fraudare, tempus studiis debitum impendo ingratis laboribus neque effugio odia et pene convicia. Cur non praeferam animum regium, nam ejus mandato haec fiunt, a Deo mihi placatum animis civium meorum a me abalienatis? Quae spes fuerit iis placendi? Nunquam enim dediscam verum dicere.

Bargii librum, quando eo usus fueris, vellem communicares. Exemplum quod ipse misit, videtur interiisse.

Vereor ut sint inter meas dissertationes quae Tibi usui esse queant, videbo, tamen sunt physicae utique aliquae.

Bonetus misit icones jumentum ex asina ut adfirmatur et tauro natae, cum ventriculi iconibus et partium genitalium. Mihi omni dote vera asina videtur.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. die 26. Febr. 1768.

363.

(357).

Gratias ago pro communicatis. Ut utar facilius bonitate Tua, bibliopolae dedi, qui me moratur.

Regi et Munchhusio rationes proposui, ob quas ad munus academicum minus nunc quam junioribus annis aptus sim. Videndum num insistant.

Valeo sic satis, neque videor mihi imbecillimo uti cerebro, sed hiemes mihi molestae sunt, et vix aliquem morbum effugio, quando frigus me ferit.

Est quod a Te rogem amicorum officium. Haude Berolino a me petiit, ut minoris Physiologiae Germanicam versionem sibi pararem. Tentavi, res mihi videtur longa, nimium absumentura otii mei, quod ea aetate non oportet negligere. Estne Vobis aliquis qui vellet laborem suscipere? Emendarem ego. Bibliopola honestas conditiones offert.

Non potui recusare, quin ad Bomarii dictionarium¹⁾ notas adspargerem, sed is levis est labor. Caeterum in Bibliotheca botanica laboro. Immensum erit opus, Photiano²⁾ fere simile, sed numero scriptorum, ut facile vides, longe superat.

Enumeratio nova ad finem tendit. Index sub prelo est et editionum citatarum catalogus. Adeoque non potero Linnaeo multum uti neque possum editionem morari ob vicinas nundinas. Et tamen suspicor tabulas non fore expeditas.

1) Valmont de Bomare, Dictionnaire d'histoire naturelle etc. Eine neue Auflage in 12 Bd. erschien in Yverdon 1768—69. BB II, 547.

2) Bibliothek oder Myriobiblon des Patriarchen Photios im 9. Jahrhundert. Abhandlungen d. K. Ges. d. Wiss. zu Göttingen. Math.-phys. Kl. N. F. Bd. 11, 2. 27

Nihil valde novi vidi, et mei fasciculi nescio quomodo undique moras nectunt.

Spes est aliqua me a Kiernandro exque Bengala plantas aliquas accepturum siccas.

Tu vero, amplissime Gesnere, vale et me porro ut soles ama. Bernae die 15. Mart. 1768.

364.

(358).

Misi heri per currum publicum, Gesnere amplissime, libros Tuos, quibus hactenus usus sum, tum folia nova Historiae stirpium, tomi quidem tertii omnia, tum praefationem. Reliqua impressa sunt, sed nondum nitide habeo, neque icones.

Quis possit ille Millerus esse, suffectus in locum Werlhofii?

Fac quaeso ut Vogelinius in aliquot paginis¹⁾ experimentum faciat, nam taedium laboris ferre nequeo. Velim tentet vires in capite XXII, quod breve est.

Viennensia illa quaeso, ut id fieri poterit, mecum comunica, inviolata remitto, tardius tamen. Altman et Schoral(?) accepi.

Heri advenerunt tandem a. 1760 Commentt. Acad. Parisinae et artes aliquae. Vitam sedentariam, quam hac hieme vixi, nunc paulum mutabo. Certum vero est mihi, aut Bernae aut Gottingae me unice dare literis. Negotia civilia non ita de me meruerunt, ut brevem vitam iis impendere velim.

Laudat Sixius opus botanicum March. de S. Simon. De Burmanni Indicis nihil inaudivit.

Quando advenient Suecica, mittam, cum videam nova genera Bergii²⁾ continere. Nomenclator sub prelo est.

Vale, suavissime Gesnere, et me porro ama. Bernae, die 26. Mart.

365.

(359).

Plurimum Tibi debeo, Gesnere humanissime, ob libros communicatos. Legi pene omnes, redibunt proximo cum curru publico. Indignor Traburchio, qui mei typographi erroribus in erratis emendatis abutitur.

Haenius scripsit, offert reconciliationem, oppressus ut puto a Swietenio. Ei interdictum fuit ne de irritabilitate scriberet, sero nimis. Scripsi ut mittant illud F. Putaveram me jam misisse. Tabulas non omnes habeo.

1) Der Primae lineae physiologiae.

2) P. Joh. Bergius, Descriptio plantarum ex Capite bonae spei. Stockholm 1767. BB II, 461.

Hanoverani silent. Suspikor morbum Munchhausii in mora esse. Burmannus misit plantas Indicas. Ut advenient ita ad Te curabo. Sic opus Marchionis de St. Simon, quod auctor pariter ad me misit.

Suecica nondum advenerunt et exemplar meum Bergii videtur interiisse. Careo Alexandri Aphrodisii quaestionibus medicis et physicis¹⁾. Si forte in bibliotheca aliqua Vestrate essent, desiderarem communicationem: est inter botanicos scriptores Graecos, quos propediem absolvi. Hi soli 20 fere schedas replebunt, quod omnes undique acquisiverim. Transeo ad Arabas.

Tissotus non petit Vindobonam. Middletonius²⁾, omnium inoculatorum natu maximus, ab imperatrice vocatus est.

Vale, Gesnere suavissime, et me ut soles ama. Die 16. April. 1768.

366.

(360).

His diebus adventat novus fasciculus; quos mecum pro Tua humanitate communicasti, Gesnere praestantissime. Ea omnia in duos fasciculos congesta heri ad Te redierunt. Non sum ausus schedas operis mei, quas nunc Te plenas habere puto, cum libris miscere, cum viderim Alexandrum Tuum Aphrodisium satis profundum vulnus accepisse, ut tamen liber ipse nihil sit passus. Pro iis omnibus gratias ago plurimas; si forte Avenzoaris Theisir³⁾ inter Vestra fuerit, averem inspicere.

Progredior in historia Arabistarum, illepido labore, cui vero restauratores succedent, et princeps Gesnerus.

Opus meum plenum nunc habere debes. Adjeci novum tomum Operum minorum, cujus duo alia exempla sunt unicum Morgagno, quod Cl. Schultheß curabit, alterum Ludwigio ad Thomannum mittendum.

Gouanus multa, nimis multa, minatur et typographos quaerit.

Inoculationem dirigo principum Holsatiae; optime hucusque successit, ut nihil ultra possit desiderari.

Ab Hanoveranis ultimas literas exspecto. Rem totam divinae commendo Providentiae neque urgeo, nolo tamen, si urgent, deesse

1) Alexander von Aphrodisias, Peripatetiker unter Septimius Severus, Aristoteles-Kommentator, Verfasser von *Problemata physica et medica*.

2) Middleton war Leibarzt des Königs von England. Er ging jedoch nicht nach Wien, sondern Ingen-Housz auf Empfehlung von Sir John Pringle. S. Klebs, *Die Variolation im 18. Jahrhundert*, Gießen 1914, S. 75. Anm. 96.

3) Avenzoar (Ibn Zuhr), Arabischer Arzt des 12. Jahrhunderts. Sein Hauptwerk ist ein praktisch-medizinisches Handbuch: *Altaisir, facilitatio s. adjumentum* genannt. Ausgaben bei Choulant, *Handbuch der Bücherkunde*, S. 375 f.

votis hominum qui erga me justissimi fuerunt et optimi. Hic ut multa placent, sic displicent multa, et quam maxime nimia jactura otii quod in conventibus publicis necesse est impendere. Quater hac hebdomade, quinquies praeterita, 200 viri convenerunt. Nunc legati 3 pagorum hic advenerunt, non integre nisi fallor petitis regis Prussiae satisfacturi ¹⁾.

Vale, Ill. Gesnere, et me ama. Bern. 7. Maj. 1768.

Solum Traburchium retinui, et cum multis notis illeverim, alio specimine compensabo, quamprimum advenerit, si placet.

367.

(361).

Fasciculo adjectus Sarconi pertinet ad Fusslinum, qui eum vertere curat. Traburchium remittam, quando illepidi opusculi aliam editionem nactus ero.

Principes Holsatiae integre convaluerunt absque ullo sympto-
mate.

Alius pro Vögelino quaeretur interpres. Tempus meum in hanc versionem abjicere non possum.

A Scopolio plantas aliquas accepi et Nova lit. Gottinga missa, Tibi destinata.

Ex ventriculo vehementer aegrotavi his diebus. Nunquam putassem, postquam in patriam redii, adeo fore imbecillum. Gottingae erat ejusmodi. Et tamen a sex retro annis perpetuo utor amaris, thea abstineo etc.

Poterisne absque incommodo Tuo indicare, quas Alpes Gesnerus conscenderit? An Gemmium, puto.

Iterum ad Tuam bonitatem recurro. Habesne Loniceri Tomum II. anni 1555, quem Seguiet indicat, et qui plantas circa Francofurtum nascentes promittit? Moram subinde mihi injiciunt hujus modi in bibliotheca mea lacunae, et opus mei simile deberet in magna urbe bibliothecis divite scribi. Interim quae habeo ea fere legi et in censum redegei.

Tu vero vale et me ut soles ama. Bern. 18. Maj. 1768.

368.

(362).

Illi nuperi inoculatores tantundem mihi videntur a vero tramine aberrare quam vetustiores illi alexipharmacorum fautores. Febris requirit quietem, perspirationem. Frigidus aer facile fauces ferit, alioquin saepe infestatus motus ipse febrim auget.

1) Die Neuenburger hatten sich am 24. und 25. April empört und den königlichen Advokaten Claude Gaudot umgebracht, worauf die fürstliche Regierung von den vier mit Neuenburg verbündeten Städten Bern, Luzern, Freiburg und Solothurn eine Garnison von 600 Mann verlangte. S. Dierauer IV, 379 f.

Gesneri ad gloriam quaecunque tendent erunt gratissima. Ornamentum totale eo tendit. Vetustus etiam Lonicerus Germanicus gratus foret.

Filius meus natu minimus graviter ex angina decumbit.

Scopolius plantas aliquas egregias misit, sed imperitus est rei herbariae. Anthericum cum asseveratione misit pro Scheuchzeria. Ejus Astrantia media non differt a minima.

Insolitam moram Suecorum amicorum aegrius fero. Sidenius discipulus meus in locum Aurivillii successit.

N. Lit. proxime mittam cum libello de electricitate Tuo qui oculos fugitat.

Nunc mitto Kirchvegh, quem Tuum credo; nisi est, remittes per otium.

Filius convalescit.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. 3. Jun. 1768.

369.

(363).

Epistolas Gesneri legi, quae ad avita initia pertinent, per quae vir Ill. eluctatus est. Remittam cum albo amicorum. Nova literaria puto Te accepisse. A Mygindo etiam plantas aliquas D. Gieseke adtulit. Cras rupes glaciales adit cum Dickio.

Guettardus multos boni gustus commentarios edidit.

Zimmermannus abitum parat, luculentis conditionibus Hanoveram vocatus. Passaei¹⁾ forte habueris exemplum; meum ut video parum plenum est, etsi neque Seguieriarum definitioni respondet. Illaesum remittam.

Quotidie experior nimis multa mihi deesse.

Miror Suecos nihil misisse. Rosenius equidem ruri se abdidit, sed Wargentinius Holmiae vivit.

Buchodz novos 2 tomos misit cum iconibus non inelegantibus.

Neocastrenses, hominum ni fallor stultissimi, totam ut vereor Helvetiam perturbabunt. A Friburgensibus defenduntur, contraria mandata isti dederunt nostris, et certe metus est, ne in aspera dissidia res ea ducat. Neque potest tantum crimen impunitum dimitti. — Ab aliquot diebus haec aliquantum mitescunt.

Tu vero bene vale et nos porro ama. Bern. 14. Jun. 1768.

370.

(364).

Iterum advenerunt Nova literaria Gottingensia, quae proxime mittam.

1) Crispin Du Pas. BB I, 415.

Advenerunt et alia, non quidem botanica.

Quae misisti D. Gieseke adtulit, qui hodie Lugdunum profectus est, postquam adiit rupes glaciales. Plantaginis uniflorae magnam vim adtulit, quam Spiezii ad lacum reperit.

Tandem Nomenclator meus sub prelum redditus est. Poematum etiam novam editionem Gottingensem¹⁾ accepi, tum Italicam Ebrodunensem²⁾.

Zimmermannus iter praecipitat.

Bibliopola Argentoratensis scribit se Gouani Ichthyologiam³⁾ excudere.

Res Neocastrenses, postquam Borussi melioribus consiliis auscultaverunt, multo laetiores faciem ferunt. Multum speratur a Gruneri cujusdam, olim civis nostri, voluntaria confessione.

De Cappelerio errorem corrigi curavi, gaudeo bonum senem publicis commodis superesse.

Tu vero vale et me ama. Bern. 18. Jun. 1768.

371.

(365).

Reddo Tibi, Gesnere clarissime, Passaeum. Habeo ejus editionis exemplum, sed parum plenum, sed est alter ejusdem auctoris Hortus floridus totus ab isto diversus et minus spaciosus, cujus duo exemplaria possideo.

Hufnagelium (?) lubenter inspicerem cum nonnullis antiquis in priori Tua schedula non deletis libris vetustis Germanicis.

Zundelio gratulor.

Plantaginem unifloram Spizia Giesecke retulit. Videtur adeo planta lacustris esse.

Nihil caeterum habui quod Tibi mereatur scribi. Vale, Gesnere praestantissime, et nos ut soles ama. Bernae die 23. Jun. 1768.

372.

(366).

Libros qui advenerunt, Gesnere optime, curabo ut illaesos recipias.

Addam album Gesneri, quod oculos fugerat.

Laurentius mihi suum libellum misit.

Specimina Ludwigiani et Berolinensis laboris sufficerent.

Advenit tandem Historia mea.

1) Die zehnte Auflage.

2) In der Übersetzung des Abbate Soresi.

3) Antoine Gouan, Historia piscium sistens eorum anatonem internam, externam, genera. Argent. 1770. BA II, 669.

Asperrime hic agitur de nova civitate Versoi, quae nunc exstruitur.

Catalogi Vestratium bibliopolarum nihil habent.

Exspecto opus M. de St. Simon et Burmanni. Fontana de Vipera opusculum¹⁾ edidit et de Rubigine; bonae vero notae sunt, quae ab eo viro proficiscuntur.

Coppetus misit Cramlen Hispanicam alicubi in gubernio Aquilegiensi lectam.

Willichius meus Clausthaliam translatus poterit nunc ex proximo plantas Hercynicas legere, inter quas ex Muscorum classe varia spero.

Oederus porro 2 fasciculos quotannis edet. Ita spes est aliqua nos finem visuros operis.

Ita vale, Gesnere praestantissime, et me porro ama. Die 13. Jul. 1768.

Heri Zimmermannus Hanoveram cum familia abiit.

373. (367).

Non erat necesse Tuo cum sumtu misisse Hilliana, neque properabam. Bene advenerunt.

De amici nostri Christophori vidua doleo, quam apoplexia (etiam hic multis fatalis) abstulit.

Nihil valde hic occurrit quod scribi mereatur. Ego quidem pergo in Bibliotheca versari et accingo me ad partem anatomicam, etsi passim botanica incrementa aliqua poterit admittere, sed nusquam incrementorum finis erit.

Saussurii itinera fecit per Delphinatum, aliqua forte mittet Coppeto, praeter Hesperin inodoram nihil valde reperit.

Cranzium legi passim in plantis peregrinum, tamen ut in recentibus floribus se exerceat. Jacquinus et ipse Hesperin dedit pro Bavarica, foliis manifeste lanceolatis.

Adansonum video immensum moliri opus, non unius hominis, quod ad 150 L. A. ipse aestimat. Utinam primum absolvat milenarium.

Tu vero vale, praestantissime amice, et me porro ama. Aug. 2.

374. (368).

Libros, amplissime Gesnere, Tibi remittam, quam primum aliquid quod addam habeo, ne Tibi frustra faciam sumtus.

1) Felice Fontana, Ricerche fisiche sopra il veneno della vipera. Lucca 1767. BA II, 566.

Non aveo icones Kniphofii¹⁾ omnes videre.

Dickius vallem Gastein adiit; num quidquam memorabile invenit nondum novi. Non placet nimis umbrosa et frigida regio.

Libri varii advenerunt, etiam Gauthier plantarum icones²⁾, neque pulchrae neque valde bonae et saepe vulgarium plantarum.

Proxima hebdomade villam in Goumoens adibo; neque enim id iter diutius potest differri, sed non longum erit.

Dudum exspecto Burmanni Indica et S. Simon de floribus. Opus immensum video me suscepisse, potissimum ob disputationes et codices manuscriptos, sed urgendus est labor.

A Gouano, qui Pyrenaeos adiit, aliqua exspecto.

Vale, vir praestantissime, et me ut soles ama. Bern. die 8. Aug. 1768.

375.

(369).

Ex itinere in villam meam suscepto feliciter redii, Gesnere suavissime.

Huberium, Ruyschianum, Ziegleri *librum* de Nicotiana³⁾ et si placet Buxbaumi Centurias coloribus illustratas lubenter inspicerem. Burmanni Flora Indica splendidum est opus tabularum ni fallor 83. M. de S. Simon, etsi nondum legi, non videtur expectationi respondere. Utrumque enim opus advenit, cum artibus nonnullis et Tomo 1767 Mem. de l'Acad., sed nondum legi, novis libris pene obrutus, et multum temporis impendens rebus publicis, etsi quantum ejus fieri potest retraho et meis me involvo studiis.

Nomenclator lente prorepat. Plantulas aliquas ex itinere reportavi, potissimum Chenopodium minus laciniatum. Xanthium multis locis reperi et Verbascum album staminibus purpureis. Bergius etiam aliquas plantulas misit. Gouanus ex felici itinere in M. Pyrenaeos rediit. Commersonus Americam adiit. Hillii jam XI. volumen prodiit, sed ab VIII. nihil misit.

Zimmermannus Hanoverae adpulit post incommodum iter, neque videtur sorte sua contentus. Novum vitae genus visus, forte consuescit.

Multa mihi ab aliquo tempore peraspera evenerunt. Collum

1) Johann Hieronymus Kniphoff (1704—1765), Professor der Medizin in Erfurt. Gurlt-Hirsch III, 505. BA II, 227.

2) Arnaud-Eloy Gautier d'Agoty, Collection des plantes usuelles, curieuses et étrangères. Paris 1768. BB II, 461.

3) Jakob Ziegler, Tabak, von dem gar heilsamen Wunderkraute Nicotiana. Zürich 1616. BB I, 420.

pene contraxi, et incommoda minus curo itineris, cujus in finem cominus prospicio. Solent se infortunia consequi, et neglectus civium contentum paveo, contentus injustos erga nos animos. Et necdum a rege post dedicationem verbulum inaudivi, absente in Scotia Pringlio.

Tu vero vale et vive felix. Bernae die 26. Aug. 1768.

376.

(370).

Fasciculum gratus accepi, Gesnere praestantissime; Zieglerum legi, Ruyschium puto me in Musaeo Petropolitano habere, Buxbaumium et Albinum remittam. Inertissimus bibliopagus retinet Burmannum cum meo St. Simon communicato et Suecicis, quae advenerunt, quorum tamen pauca etiam Linnaei botanica sunt.

Felicis diarium non dirigo; nuntium ipsi misi, cum Bonneti analysin animae alienissime a meo sensu recensisset. Est tamen aliquod mihi cum ipso commercium, et curabo, etsi mallet nullam Spalanzanum inter et Valisnerium litem natam fuisse. Nam et patrem Valisnerium plurimi facio, et meretur Spalanzanus etiam de me.

Viennensium scriptum sero tempore averem videre.

Mera fortunae cujusdam culpa fit ut rex (Angliae)¹⁾ non respondeat. Nondum accepit exemplum. Nam nimis bene mihi cupit. Totus sum in opere meo (Bibliotheca medica)¹⁾, cujus primam partem (Scriptores botanicos)¹⁾ hac hieme absolvo, non ideo continuo editurus.

Per opportunitatem vellem doceres, num Sebae Tomus III.²⁾ et IV. aliquid habeat botanici argumenti, quibus careo, emturus si habet.

Ita vale et me ut soles ama. Bernae die 14. Sept.

377.

(371).

Grata advenerunt Viennensia. Ea legi et omnia Tua remittam, quamprimum aliquid licebit addere. Habeo Suecica nonnulla, nempe nihil nisi Acta Academiae et Linnaei 2 disp., Entomologia et Mundus invisibilis, in quo mira theoria fungorum exstat. Garsaulti novas infinitas plantas³⁾ habeo et Anglica nonnulla ad hortorum cultum, denique St. Simon et Burmannum, quos nondum legi; eos lubenter addam.

1) Von Gesners Hand beigefügt.

2) Albert Seba, Locupletissimi rerum naturalium Thesaurio 1734—65. 4 Bde. BB II, 232 f.

3) F. A. de Garsault, Description, vertus et usages de 719 plantes en planches etc. Paris 1767. BB II, 447.

Subrisi, cum vidi in libello Spallanzani egregii viri eum esse locum de quo Valisnerius queritur. Is enim libellus de motu sanguinis ¹⁾ mihi dicatus est.

Sebum nondum complebo.

Plurimos libros undique accepi, vix botanicos. Bomarii duo primi tomi cum nonnullis meis notulis prodierunt. Non placet mihi studia mea abrumpere, ut aliena ornem. Bibliothecae opus immensum est. Prima stamina quae delineo mense Novembri absolvero. Sed addenda sunt varia ex catalogis etc.

Novam aliquam haeresin dabit M. Rousseau, qui Alpes Delphinatus adiit et totus factus est botanicus; utinam nunquam alia studia secutus esset.

Hudsonus Cornwalliam adiit, ab eo aliqua spero, novam Floram parat. In principum Holsatiae insitione ego nullam curam emisi, neque frustra, senior enim et plurimas pustulas passus est, et angina laboravit febremque habuit satis acrem, sed ea facillime se dissipari sunt passa.

Vale, Ill. Gesnere, et me ut soles ama. Bernae 6. Oct. 1768.

378.

(372).

Ecce, Gesnere praestantissime, quae notavi in Eisfeldio, literulam adscripsi L. Simonem et Burmannum propediem mittam. Nescio an Pennant Zoology ²⁾ Tibi usui sit futura. Linnaei Mundus invisibilis aliqua habet de alterna conversione vegetabilium in animalia et vicissim ³⁾. Diaria quae utilissima esse deceret, saepe injustitiae et mali animi sunt instrumenta.

Principes Holsatiae luculentum testimonium suae voluntatis dederunt 100. Ludovicos aureos. Russi silent, quos excitabo.

Seguierius varia communicavit et promisit minora, quantilla ei sit bibliotheca, sed Sloaneam ipse Londini inviserat.

Estne forte Londini exemplum Bibliothecae le Long ex editione Fontette, cujus innoxium usum possem obtinere? Ejusmodi libris neque carere potero, neque tamen uti, postquam semel excerpseri. Hic neque publice neque private quidquam est librorum. Icones Dni Garsault advenerunt, tamen minime malae, et novae certe pleraeque.

Haec satis inutilia scripsi, ne catalogus nudus rediret.

Tu vero vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bernae die 12. Oct.

1) Lazaro Spallanzani, Dell'azione del cuore etc. Modena 1768.

2) Thomas Pennant, British Zoology. London 1768. 2 vol. BA II, 654.

3) Linné vertrat die Ansicht, als ob gewisse Pilzsporen mit Insekteneiern identisch wären.

Cum versor in Linnaei libris recensendis, rogarem ut Systematis naturae editiones notares, quarum t^{an}t^um 4 vel 5 possideo. Sunt autem multo plures.

379.

(373).

Placeat Tibi, vir clar., Tuam sententiam de opere S. Simonis aperire. Mayerus pretium nostrum hoc ipso lapide obtinuit, sed videtur res topica esse, cum ejusmodi lapis non possit ubique reperiri.

Heideggeri electio¹⁾ etiam mihi laeta accidit. Egebamus exemplo posse in republica magna merita emergere.

Nomenclator ex prelo prodiit. Eum proximo cum curru mitam cum Tuo libro et novis quae ad manum erunt.

Bordenave, nisi jam scripsi, meas Lineas Gallice vertit, sed stultissimo instituto editione a. 1751 usus est, quam nuperior longe superat.

A Rege M. B. magnificum munus et literae honorificae pro dedicatione advenerunt²⁾.

Hudsonus novam editionem suae Florae promittit, Cornubiam plantarum causa adiit.

Ego mea Bibliotheca vitae taedia fallo. Primae ejus lineae his diebus absolutae erunt. Inde incipiam ultimam manum admove. Botanice justum volumen absolvit. Anatome longe fusior erit. Oporteret in magna urbe ejusmodi opera scribere, et bibliothecas vastissimas ad manus habere, sed utendum est rebus praesentibus.

Vale, praestantissime Gesnere, et me ut soles ama. Bern. die 26. Nov. 1768.

380.

(374).

Abibunt Tigurum, Gesnere suavissime, quae desideras, et inter ea Burmanni Indica.

Non desiderarem S. Simonium, sed auctor urget ut eum legam, laudum ut puto cupidus.

Video me libro carere quo minime deberem. Eum per filium necesse si interim posses communicare, faceres rem gratissimam et mihi necessariam, de Gronovii dico auctario ad Seguier Bibliothecam a. 1760 edito.

Ambitus Bibliothecae meae nunc est delineatus, descripta breviter judicia, sed plurima desunt addenda.

1) Joh. Konr. Heidegger wurde am 12. November 1768 zum Bürgermeister von Zürich gewählt. ADB XI, 297.

2) Die Historia stirpium indigenarum Helvetiae inchoata war dem König von England Georg III. gewidmet.

De libro Telemachi aemulo magis ad mores et tempora nostra adaptato cogitavi quidem, sed malo rebus magis seriis meum breve ut puto, otium dare ¹⁾.

Scribimus ad Majorem, ut gipsum suum mittat. Alcalinum ex suo gipso pulverem absque igne obtinet.

An aliqua Tibi nota sunt de auctore libri, quem Vestrates impresserunt, *Reflexionen eines Italieners über die Religion überhaupt* ²⁾, 1768. 8?

Loeberus, olim meus auditor, tristissima nova ex Volhynia scripsit. Primarii magnates de relinquenda Polonia cogitant. Herrenschwandius tamen non desperat neque regem deserit.

Itaque vale et me ut soles ama. Bern. die 6. Decemb. 1768.

381.

(375).

Disputationes Eisfeldianae advenerunt. Pretium additis quae Tibi praeterea debeo continuo solvam, si Tibi placuerit has rationes constituere.

Accepi etiam reliqua.

Advenit interim volumen Oederi VII. Id proximo cum curru adjecto opere L. T. Gronovii Tibi curabo.

Adeo sum involutus undique negotiis, adeo abutuntur facilitate mea bibliopolae, ut eum errorem prius corrigere oporteat, quam ad novos labores accedam. Obvelitabat ante animum optimi principis imago, nostris aptior temporibus quam Telemachus. Satis placebat institutum, sed ea aetate maluissem anonymum edere, noluit Fueslinus. Nunc nullum mihi otium est.

Cranzii opusculum accepi.

Alius bibliopola misit Sindii de morbis equorum grande opus ³⁾, desiderat praefationem. Enormis mihi labor videtur, neque hactenus didici negare.

Burmanianis notis me extricavi, sed in praefationibus laboro ad principes medicos Graecos ⁴⁾ pertinentes, quos Lausannae Grassetus edit.

1) Haller denkt also schon 1768 daran, einen Staatsroman zu schreiben. Vergl. Widmann, A. v. Hallers Staatsromane. Biel 1894. S. 54.

2) (C. A. Pilati di Tassulo), Reflexionen eines Italieners über die Kirche überhaupt, über die regulare und seculare Geistlichkeit, über die Bischöfe und römischen Päpste und über die kirchl. Rechtsamen der Fürsten. Aus d. Italien. übers. (v. J. C. Voegelin) Freybg. (Zürich) 1768.

3) Die Bibliographie der Werke des Barons J. von Sind ist angeführt bei R. Klee, Bibliotheca Veterinaria. Leipzig 1901, S. 181.

4) Eine Sammlung antiker medizinischer Autoren in lateinischer Übersetzung.

Interim Bibliotheca botanica absoluta est. Quamprimum Fueslinus cupit impressionem ordiri, mittam correcti operis partem primam. Justum volumen erit.

Itaque vale, vir praestantissime, et me ama. Bern. die 24. Dec. 1768.

382.

(376).

Accepi quae misisti, vir praestantissime, uti jam puto me indicasse, et Burmannum exspectabo, quando usus eris.

Avenione donum plantarum et librorum accepi a D. Pennier de Longchamp¹⁾, sed plurimum otium amisi in rebus quae novum oppidum Versoix adtinent nosque summe tenent sollicitos.

Jacquinus professor botanicus factus est et Viennae nunc degit.

Floram Kewensem edidit Hillius²⁾, quam nondum vidi.

Genevae Bonnetus et Tremblegus, laude literaria clari viri, tunc alii de magistratu, se abdicarunt, cum omnis potestas ad civicos conventus translata sit.

Le Catii ridiculas theorias³⁾ nunc legi, quae omnia superant hactenus mihi nota. Ganglion est substitutum cerebri, glandula ganglii. Glandula est nervosa extremitas quae arteriosam absolvit etc.

Buttnerus botanicus Gottingensis, mirus homo, obiit, ejusque in locum sufficitur Murray junior⁴⁾. Spero facturum ut par sit officio. Munchhusius melius degit. Zimmermannus silet, cum non deberet.

Oederum puto Te accepisse. Errores in nominibus aliquos procul dubio ipse deteges. Non amat plantas siccas, ita fit ut subinde in conciliandis plantis aberret. Misit primum folium Florae Danicae⁵⁾, quo Byssi continentur.

Ita vale et me ut soles ama. Bern. 7. Jan. 1769.

383.

(377).

Accepi, Gesnere praestantissime, libros et nummos, quos minime oportuerat adjecisse.

1) Vergl. BB II, 563.

2) Hortus Kewensis. London 1768.

3) Claude Nicolas Le Cat, *Traité de l'existence du fluide des nerfs etc. und Sur la sensibilité des meninges . . . l'irritabilité Hallerienne*. Berlin 1765, worin er Haller angriff. BA II, 310.

4) Johann Andreas Murray wurde 1769 prof. med. ord. und bekam die Aufsicht über den botanischen Garten. Pütter II, 138.

5) G. Cl. Oeder, *Enumeratio plantarum florum Danicae*. Hafniae 1770. BB II, 507.

Laugierum credo obiisse. Zimmermannus penitus silet. Fuslinum operiemur, quoad ei vacet. Magis autem et magis omnia consentiunt, ut conditiones Gottingensium necessitate quadam ad ductus acceptem. Diarium Belgicum quod misisti estne forte conversio Commentariorum Lipsiensium? Multa habet similia.

Scopolius scripsit varia se editurum, quae promittit. P. Privat etiam suas ad Amoenitates Linnaei additiones misit.

Spero Bibliothecae Escurialis exemplum me a rege accepturum. Bibliopolae negant emi posse.

Hillius tomos 5 misit, quorum ultimus est XIII. maximi operis. Addit se omnes figuras ad naturam delineare, sive recentes plantae fuerint, sive vapore aquae calentis suscitatae.

Legati nostri benignum satis a Gallico legato responsum retulerunt. Civitatem autem, inermem quidem nulloque munitam praesidio, Galli minime deserunt. Argumenta causae nostrae (Memoire) a me scripta valde probavit. Nunc ea res, quae me totum surripuit mihi, quiescet aliquamdiu.

Habeo tamen plantulas nonnullas siccas Islandicas, inter quas Dorsifera, quae nova videtur.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. die 25. Jan. 1769.

384.

(378).

Res eo devenit, ut absque interventu reipublicae nullo modo me conditionibus Gottingensibus negare queam. Num sit interventura sciri nequit; agitantur hac de re consilia aliqua.

Galli pergunt portum instruere, neque, quantum video, de suo proposito decedunt. Ita undique respublica Helvetica a potentiorum moliminibus urgetur, neque video exitum. Convocandos esse status ejus reipublicae sentio, nobis forte et alia auxilia implorandum, non quod multum etiam istis effici sperem, sed ne nobis desimus.

Hillium si ita videtur in cistam dabo, est enim voluminosum opus, et 8 quae habeo volumina mittam, deinde, ut advenient, quinque alia.

Scopolium in Societatem Oeconomicam recepimus ad ejus desideria. Multa molitur, novam potissimum editionem suae Florae.

Celebrem comitem de Bute mecum fuisse non revelato nomine ex literis Anglorum intelligo; multum de montium fabrica mecum disseruit, ex Pyrenaeis tunc maxime redux, magnumque rei naturalis amorem demonstravit. Ut studia botanica hactenus incitarem, pretium constitui a Societate Oeconomica 20 ducatorum „ei vergendum, qui plantarum ad rem tinctoriam pertinentium in Helvetia locos natales et utilitatem aperuerit“.

Bellardus plantas siccas ad me misit et varia minatur se editurum ad praxin medicam converso Allionio.

A du Hamelio editum jam librum de arboribus fructiferis¹⁾ exspecto, deinde aliud de piscibus opus²⁾, cujus potissimum magna apud me est exspectatio. Gouanus penem piscium a me in A. Suecicis indicatum renovat et Verneyi vitiosam branchiarum fabricam corrigit. Camperus 3. fasciculum molitur.

Denuo urgentissimae literae Munchhausii advenerunt, non sine aliquibus impatientiae indicis. Ita continuo de meo fato deliberabitur.

Tu vero vale, vir praestantissime, et me porro ut soles ama. Bernae die 8. Febr. 1769.

385.

(379).

Die 13. Martii de meo discessu definietur. Videntur amici omnia tentare, ne locum habeat, alii contrario inculcant.

D. Lewis negat Uvam ursi colorem nigrum ullius momenti dare, de fusco fatetur.

Miseri illi Gallorum architecti armata manu ligna ad materiem de Novidunensi portu nocturnis horis adtulerunt. Nondum res tota ita constituta est, ut justam demonstrationem offere possimus, vera tamen est. Itaque nostrae de Gallis querelae quotidie exasperantur.

Exspecto Hilliana volumina 5, tunc quaecunque volueris ad XIII. usque in cistam conjecta mittam. Rex Hispaniae mittit desideratum catalogum librorum manuscriptorum Escurialis.

Novumne opus de avibus dedit Brissonius? Nam 4 de avibus volumina teneo.

Praeter morem his diebus occupatus fui, ut vix litteras legerem. Et nunc quotidie senatus secretus ob Gallorum molimina convocatur, cui ab a. 1766 adgregatus sum.

Ad Fusslinum primum folium mei operis de Historia botanices misi, sequentur post 15 dies plura.

Vale praestantissime amice, et me porro ama. Bern. 4. Mart. 1769.

386.

(381).

Nihil deliberatum est, Gesnere praestantissime, eo die qui erat constitutus. Bibliothecae meae coemptio incredibilia invenit obsta-

1) H. Duhamel du Monceau, Traité des arbres fruitiers contenant leur figure, leur description, leur culture etc. Paris 1768. 2 vol. BB II, 219.

2) H. Duhamel du Monceau, Traité général des pêches maritimes, des rivières et des étangs. Paris 1769—1782, 3 vol.

cula, ut amici eam rem deserere essent parati, sed intercessit die 8. senatus valetudinis curandae, et petiit ut cives mei me sibi servarent. Ea petitio per unanimita vota a consilio adoptata die 31. Martii ad 200 referetur, neque enim prius potest, per impedimenta temporum paschaliū, quibus omnia nostri senatus confirmantur. Videtur res eventum habitura, nihil tamen in republica tot inter capita certum est.

Brissonii petrosū opus¹⁾ possidebam, ecce novum onus. Per otium vellem unum volumen ut primum cum Tuo otio inspicere.

Video fore ut Tua utar humanitate, ut cum Fuslino agas. Non respondet, non imprimit, nescio quo loco meum cum ipso negotium sit. Non nimis urgeo, vellem tamen, ut 1. folium unum et alterum imprimeret, quo videremus voluminis futuri modum, id ut apte divideremus, forte etiam in duo partiremur. 2. ut certe intra mensem edendi faceret initium. Promiserat citius; vides cum demum absoluta editione pensionis meae initium capiant, meo cum detrimento moras conjungi. Totum opus paratum est, eget utique emendatione, eam addam ut necessitas requiret, et si desiderat, per schedas suis numeris notatas et suis locis adfixas additamenta praeparabo. De botanico opere sermo est.

Aula Gallica proxime de negotio nostro definiet, et respondebit. Magna animorum contentione hic aguntur, et passim mala consilia sparguntur, quae etiam ad devellendos Tuae et nostrae reipublicae animos pertinent. Deus avertat, ego quidem ut potero resistam, qui moderata haec consilia sustinui.

In Guettardi Commentario exstat Tirsae descriptio, graminis fructuosi ex Acrania, quod mihi Bromus videtur uniflorus.

Cl. Scopoli in Jacquini locum suffectus est, qui Langerio successit. Cl. Hoin Divionensis chirurgus²⁾ experimenta edidit de insensibili tendinum natura, omnino in sensum meum.

Tu vero vale, Ill. Gesnere, et me ut soles ama. Bernae die 18. Mart. 1769.

387.

(382).

Cum ex legatione Solodurensi mihi mandata³⁾ rediissem, heri 31. Mart., ad senatum CC virorum retuli et legati Gallici solemniter promissa aperui, qui in se recepit nullam porro nostrae ditioni vim iri illatum.

1) Mathurin Jacques Brisson (1723—1806), Professor der Physik in Paris. Poggendorf I, 301 f.

2) Jeans-Jacques Hoin (geb. 1722), bedeutender französischer Wundarzt in Dijon. Gurlt-Hirsch III, 256.

3) S. Blösch, Jahrbuch f. Schweiz. Geschichte, IV, 1879, S. 102 f., 148 ff.

Eodem mane unanimibus 155 votis decretum est, ut patriae servarer, me neque petente neque recusante. Decreta est annona 400 imperialium annua, et levissima quaedam officia imposita, quibus alioquin in senatu curandae valetudinis vacabam. Itaque omnes de Gottingensi vocatione cogitationes abjeci.

Involvor autem quotidie magis civilibus negotiis, Gallicis etiam praecipue, meoque uti calamo nostri amant, etsi id officium foret scribarum publicorum. Delector autem, fateor, amore civium, et me totum dabo reipublicae. Neque tamen studiis nuncium do meamque Bibliothecam porro conabor evocare.

Advenerunt 5 novi tomi Hillii; quamprimum eos legero, idque fiet propediem, in cistam dabo et mittam cum iis quae Tua habeo. Haec primum amicorum meorum nolui ignorare.

Bernae die 1. April. 1769.

388.

(383).

Hisce brevissim<is> l<iteris> monuisse volui, Gesnere praestantissime, me Tomos 2—8 Hillii per filium ad Te misisse, misurum tomos 9—13 per Schulthesium, quos nondum legeram. Multas novas aut parum notas plantas videtur continere.

Plurimum laborem posui in nova deliberatione de rebus Gallicis. An legatum simus missuri, nondum certum est, mihi id auxilium certissimum videtur, sed valde dissident nostrorum civium animi.

Aliquem utique amorem cives mei suis unanimibus votis demonstrarunt, neque ego lucrum ponderavero. Dedi me meis amicis et familiae, doleo vero, quod otium mihi minus sit quam destinaveram. Finis enim mihi erat nuncium dare omnibus officiis, et quas nos vocamus cameras resignare meque totum dare studiis. Per ferias felicem me esse sentiebam, destinabam mihi clanculum perpetuas ferias, sed nunc videor scopo excidere, et cogor me accomodare voluntati civium.

Fuslinus pergit moras nectere, non bene.

Tu vero vale, vir optime, et me ut soles ama. Bern. 1769. 8. April.

Dissertationem quam dicis averem legere.

389.

(384).

Accepi, Gesnere humanissime, disputationem de Tauria et propediem remittam. Spero Te accepisse tomos 2—12 Hilliani operis, quorum priores filius misit, reliquos Cl. Schulthesium curat. Ab eo tempore advenerunt Gallica aliqua, memoires 1765, Mem. etrangiers T. V. et Pomologia Cl. Hamelii splendidissima. His ego omnibus

parcius fruor, obrutus civilibus undis. Die 28. Aprilis de re ipsa cum Gallis definietur.

Memini me flavum quid in Herrenschwandii arcano vidisse.

In T. LVII. Phil. Tr. etiam aliqua botanici sunt argumenti, ut Flora Wolgensis.

Schlosserum obiisse forte jam nosti.

Magnum numerum disputationum Edimburgensium accepi. Nihil habent botanici, sed de camphorae et opii viribus aliqua experimenta.

Fuslinus primum operis mei folium misit, valde contractorum typorum, sed neque doleo, ita enim botanice uno tomo poterit contineri.

Ab Illmo Munchhausio litteras humanissimas accepi, quibus ad eas respondet, quas ob decretum 31. Martii ad eum dederam. Placet quod cum viro mei semper amante porro liceat amica commercia continuare.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 26. April. 1769.

390.

(385).

Maximis animorum motibus, tribus integris diebus, lites Gallicae agitatae sunt, iterumque cura exponendorum jurium nostrorum mihi commissa, ut pene omne otium meum mihi ad plures dies sit subtractum. In curia apoplexia tactus quatuorvir de Mülinen post duas horas exstinctus est, cujus locus hodie supplebitur, me recusante amicorum officia. Nimis expertus sum magni numeri aversionem, neque volo aut adulando aversas mentes reconciliare neque tamen repulsis me dare obnoxium.

De Hillio perinde meum iudicium est. Princeps utilitas est in numerosis variarum stirpium delineationibus, quae vix alibi exstant.

Nomenclatorem nescio quare omisi, per Fuslinum supplevi.

Haenius ad me et Tissotum scripsit, et amicum se adfectat dicere.

Arduinus iste aut aliquam dissertationem ad nos mittat aut opus aliquod, ita poterit cooptari.

In novis Phil. Trans. T. LVII. aliqua exstant de caractere Salicornae et Confervae marinae, quarum aliquae species dicuntur utrumque sexum habere, sed in diversis stirpibus.

Interim plene valeo et videtur patrius aer plurimum ad meam valetudinem conferre. Tu vero vale, vir Ill., et me porro ama. Bernae die 3. Maj. 1769.

391.

(386).

Accepi, Gesnere praestantissime, Haenii, miri capitis, novum volumen et legi et ad Te curabo. Offero vicissim horti Kewensis catalogum, quem nuper Hillius misit. Utar si potero Schulthessii et Ottii, virorum humanissimorum, occasione.

Vix possunt sufficere quae Arduinus ex novis publicis misit. Solemus aut viros dudum illustres adgregare¹⁾, aut eos qui nobiscum novum aliquod scriptum communicant, quale de Melonibus²⁾ nuper Scopulus misit. Itaque posset Arduinus a Kuhnansio de nostris legibus moneri.

Res Gallicae vehementer fervent et magno animorum aestu agitantur. Mihi potissimum magnam mei otii partem subripiunt. Neque valde spero quidquam fructuosum ex nostris conatibus nos esse consecuturos.

Encyclopaedistae invitant me ad societatem laboris, Gallicos volo. Non valde aveo novos suscipere labores et magis mea delector Bibliotheca, sed et in patria omnis generis labores mihi incumbunt.

In vasto itinerario D. de la Lande³⁾ aliqua vidi ad historiam naturalem, montes et animalia pertinere.

Vale, amicissime Gesnere, et me porro ama. Bern. die 10. Maj. 1769.

392.

(387).

Hilliana fere deproperata sunt.

Cum Novis literariis et iis quae mihi benevole curasti, accipies, Gesnere praestantissime, folia desiderata Nomenclatoris.

Typographi et notarii vitio hae plantulae amissae sunt.

Parum est quod la Lande ad rem naturalem contulit.

Vix potero editoribus Encyclopaediae gratificari, nimis obrutus laboribus magis necessariis et plus habentibus officii.

Pergunt fervere res Versovienses et magno animorum aestu agitari, qui mihi etiam potissimum importunissimus accidit tumultumque concitat odiorum, praeter labores in scriptis publicis, quae fere mihi committuntur. Caeterum recte valeo.

Plures nobiles variolas sibi passi sunt inoculari, cum adulti aliqui et primarii homines naturales variolas satis graves passi essent, et etiam nunc nobilis femina in summo periculo versatur.

1) Nämlich der Oeconomischen Gesellschaft in Bern, der Arduini beitreten wollte.

2) Erschien in den Mémoires de la Société économique 1768 P. 2. BB II, 435.

3) Voyage d'un Français (M. de la Lande) en Italie 1765 et 66 en huit tomes. Yverdon 1769—70. Catalogue S. 127.

In Herrenschwandum satyra prodiit, quae nomen fert Carnificis Warsoviensis. Invident ejus arcanum ad taeniam, novamque quam moliebatur academiam medicam, quam diaeta regni probaverat. Ipse in sua villa degit et videtur sperare se Bernam iri vocatum.

Audio Tronchinum a Duce Aureliani deserere et patriam repetere¹⁾. Floret Tissoti res et aegri ad ejus consilia et medelam undique confluent.

Vale, vir amicissime, et me porro ama. Bern. die 16. Maj. 1769.

393.

(388).

Cl. Zieglero plurimas gratias habeo ob missum elegans opusculum. Et ego accepi aliqua, potissimum Cranzium et Weigelii Floram²⁾.

Gallica fastidia ad aliquod tempus suspensa sunt; neque enim omnium pagorum consensus advenit, deinde audiendum est responsum Gallorum. Nihil boni speramus, nam Genevensibus quidem edixerunt, ea lege ipsis liberum reddi commercium, ut omnes merces etiam Sabaudicas in pagum Versoy mittant; ipsi vero Galli viam ex eo pago in comitatum Burgundiae muniunt. Et tamen etiam magis ego mihi a calidis nostrorum animis metuo quam a re ipsa.

Itaque ad opera mea redii; additam chartulam quaeso cura reddi Fuslino, qui promittit se ad officium rediturum.

Heri vehemens tempestas saeviit, et insolito unico quasi tormento fragore fulgur decidit, incendium etiam non exiguum vidi, in pago ut puto Kunez. Illa prior etiam calamitas magnam partem agri Aventici vastavit.

Audio Encyclopaediam novam Parisiis non procedere intercedente magistratu, intercedentibus etiam prioris editionis bibliopolis.

Tissotus ob concessum ordinem in Academia L<ausannensi> cuidam pastori, non integerrimae ut ajunt famae homini, iratior vult se munere abdicare. Zimmermannum audio convalescere.

Schlosseri catalogum habeo et si lubet mittam.

Bernae 14. Jun. 1769.

394.

(389).

Suspensi haerent, Gesnere amplissime, politici nostri labores, et ferias agimus. Storkii flammulam³⁾ ad paucos dies desiderarem.

1) Theodor Tronchin (1709—1781), berühmter Genfer Arzt. 1766 war er erster Leibarzt des Herzogs von Orléans geworden, in welcher Stellung er bis zu seinem Tode blieb.

2) Christ. Ehrenfried Weigel, Flora Pomerano-Rugica. Berlin 1769. BB II, 595.

3) Anton Störck, De flammula Jovis. Wien 1769. BB II, 493.

Comm. Bonon. T. V. puto Te legisse, inest Ambrosinae et Amoniae character. D. Tissot titulo potius gaudebat prof<essoris> quam munere, puto non re ipsa.

Schlosserum misere neglexi, mittam.

Cepit imprimere Fuslinus; si semel serio manum adornaverit operi, spero propria utilitate iri incitatum ut absolvat.

Exspecto tomum I. mei Hippocratis¹⁾.

Cl. Pringle et Franklin Galliam adeunt et Helvetiam invisent.

Floris pluit sterilibus ad Linnaeanas species fictis.

D. Koenig Tranquebariae advenit²⁾. Ab eo vero eximia in re botanica licet exspectare.

Nosti Lakmannum, eum vereor parum esse botanicum.

Aliqua a Grimmio exspecto nunc archiatro Gothano.

Noster publicus cursor inter 6 et 7 sero ebrius, ut putatur, suas negligens literas amisit. Nescio quis fasciculum abstulit, literas evulsit, per rivum spersit, unde aliquae madidae servatae sunt, suspicantur nummos fuisse in penula.

Tu vero vale, praestantissime Gesnere, et nos porro ama. Die 13. Jul. 1769.

Meisterus Bernae fuit et apud filium et generos; ego quidem nolui ab eo adiri, ne excusationes hominis audirem, quas non probassem.

395.

(390).

Celeriter rescribo, Gesnere amicissime, quod catalogum Butneri desiderem, quem nondum Gottinga accepi, et quem peto ut benevole velis communicare. Commodaveram non nemini catalogum Schlosseri, qui heri demum eum restituit.

De divitiis Hillii dubito, neque bonus auctor est Vautravers. Certe Hillius nostra subinde nova venditat.

Gouanus submolestus est. Non habeo 5 auctaria, oportebit Basileae quaerere, et quaeram.

Ego per hos caniculae ardores non optima fruor valetudine, convalesco tamen, somnum potissimum desiderabam.

Misit oeconomus Birdgrass III genus parce, pratensi latifolio persimile. Nescio cur ex India ejusmodi semina caro redimas, quorum aequalia hic sponte abundant.

1) Die Hippokrates-Ausgabe erschien in 4 Bänden von 1769—1770.

2) Joh. Gerhard Koenig (1729—1785), Apotheker, Arzt und Botaniker, Schüler Linnés. Er wurde 1768 Missionsarzt in Tranquebar und trat in die Dienste des Nabob von Arkot als Naturforscher. Er starb, als er im Begriff war eine Reise nach Tibet anzutreten. Gurlt-Hirsch III, 521.

Genevenses aliqui plantas promittunt. Delense misit Sclaream Horminum, vereor non satis indigenam.

Omnia mea moram patiuntur, ego interim in p<rae> p<ara>nda Bibliotheca anatomica pergo. Nondum tamen ad opus ipsum accedo. Quid fiet de Trewii bibliotheca qui 18. Jul. obiit?

Encyclopaedistis nuntium remisi. Nunquam aperire animum. Neque placet cum illis atheis, sunt enim inter eos principes, in eodem opere laborare, etiam certus mea fere innocentia.

Tu vero vale et me ut soles ama. Bern. die 18. Aug. 1769.

396.

(391).

Catalogum Gottingensem accepi, et ne frustra facerem sumtus, retinui, exspecto enim proximo cum curru Gottingensia, inter quae et Oederi fasciculum VIII. Vix quidquam inest quo caream.

Habesne exempla sicca Panic capillaris, quod nomen Linnaeus fecit Americano gramini Birdgrass? Si habes, quaeso specimen communica. Nostri socii oeconomi cum eo nomine Poam acceperunt nostrae paniculatae majori similem. In Mayz rustico pessima (an hujus Birdgrass?) reperitur, ut tamen adgnoscas Poam.

Audio et gaudeo catalogi imprimi Trewianorum librorum.

Neocomenses cum Felice, ut puto, societatem inierunt.

Accepi I. tomum Historiae naturalis Belgii Dni Berkhey quae est fere in elementis, alter tomus erit animalium. Camperus etiam oeconomici aliquid edidit, quod miserunt.

Exspecto aliqua ab homine, qui per Alpes Turinum adiit. Pretio conduxeram, ut quaereret Genipi flore caeruleo, quod, sed rarissime in Alpihus versus Pedemontium monticolae dicunt provenire. Aveam plantam, si Achillea est.

Nostri mire occupantur in cometa.

Nova publica nulla habeo; audio tamen tumultus in Anglia subsidere. Fuslinus paulatim excitatur, 10. schedam misit.

Vale, vir praestantissime, et me ut soles ama. Bern. 29. Aug. 1769.

397.

(392).

Advenerunt plantae illius nomine Mottey. Inter eas fuit Cytisus hirsutus, loco non satis definito natus.

Abscessu in mala laboravi dolorifico, et qui omnem mihi somnum eripuerit per 4 aut 5 noctes, non sine febre. Ruptus tandem abscessus, foetida materia effluxit, et reliqua recte se habent.

Ehrhardo si potero inserviam.

Ecce noyum fasciculum Oederi et Novellarum.

Valde me urgent Encyclopaedistae, ut novam editionem adjuvem. Multa displicent in instituto. Volunt veterem editionem retinere, addere supplementa. Id mihi non videtur suadendum, cum veteris operis multi paragraphi omnino inutiles sint et debeant novis suppleri. Si aliquid molior, curabo ne quidquam decedat Bibliotheca. Ea nunc aliquanto melius procedit.

Intra octiduum advenient tandem Suecica.

Cl. Bassi misit mihi de Forsitia opusculum, quod communicabo, si placet, et Sitologiam ante aliquot annos editam.

Audio proxime responsuros Gallos. Inde novas mihi turbas metuo. Nam pergunt aedificare et magnam promittunt civitatem, ingentibus auctam privilegiis.

Duchesne porro me urget de Fragaria illa flore luteo. Rescripsi, hominem me missurum Bormium, si rex sumtus vellet facere. Du Chesne sperabat consensurum, sed ea aula mira penuria nummorum laborat. Adderem nummorum tantum ut D. Wytenbach juvenis plantarum studiosus posset per 15 dies Lugani morari et 8 dies Clavennae. Multum inde sperarem.

Vale, amicissime Gesnere, et me porro ama. Bernae 29. Sept. 1769.

398.

(393).

Adnotavi¹⁾ dissertationes aliquas, quas in catalogo Eisfeldii desiderarem.

Gottingae morbis gravibus eram obnoxius, nunc molestiis variis et nuper indigestione et diarrhoea laboravi.

De Ramsensi negotio non aliter sperabam, Nostrum etiam ad finem tendit. Rex jura nostra adgnovit, aculeos tamen nonnullos epistolae addidit neque ubique rem facti recte tenet.

Ingratissimo frigore premimur. Ego quidem in meis pergo Bibliothecis. Gouanus scribit primum librum suum de piscibus absolutum esse, eum ad me se missurum et ad Te. Valde cuperet Tuas icones videre, nihil autem in ea <re> ipsi promisi. Humanus est, paulum importunior.

Legi pretiosum opus Abb. Chappi.²⁾ Aliqua ad mineralia circa Catherinenburg, ad altitudines locorum, ad phaenomena fulminis habet, multa aliena, potius satyrica.

Alexandri Aphr. librum quaeso folio meo trade, quando Bernam redibit. Legam nunc ad anatomica, et medica, neque hic reperitur.

1) Der Anfang des Briefes fehlt.

2) Der Abbé Jean Chappé d'Auteroche (1722—1769): Voyage en Sibérie. 1763. Poggendorff I, 420.

Suecica legi, botanica pauca, Bidentem Acmeleoidem Bergius depictum dedit. Linnaeus in dissertatione de Colonia plantarum¹⁾ suis conjecturis indulsit. Multa miserunt politica, omnia diu in itinere morata.

Historia naturalis Hollandiae apud me est. Tomus I. fere meteo-
ra continet, sequentur animalia. Auctor Berckhey²⁾.

Vale, vir amplissime, et me ut soles ama. Bern. 11. Oct. 1769.

399.

(395).

Recte accepi, Gesnere humanissime, dissertationes et nummos, quibus non fuisset opus. Non prius respondi, quod involutus maximis laboribus, etiam ad Gallicas lites facientibus, otium non invenerim.

Doleo Te valetudine minus fuisse bona.

Alexandro usus, cum gratiarum actione eum remittam.

Heideggerus mihi severe videtur tractatus.

Anglica accepi, bona aliqua oeconomica, et Phil. Trans. vol. LVIII.; lego in publicis novis 14. tomum Hilliani operis prodidisse.

Vix me teneo quin in Encyclopaediam aliqua conferam³⁾, cum praeterea Fuslini lentor mihi otii satis relinquat. Vix enim 22 plagulae absolutae sunt, neque Bibliotheca botanica, si eo passu progreditur a. 1770 prodibit.

Barnadez Hispanum⁴⁾ contra me et Linnaeum scripsisse audio, Tournefortianus est, quare vero me nunquam in T. injuriosum cum Linnaeo conjungat, equidem ignoro, nisi quod utrique nomina plantis demus, descriptiones et varietates separemus.

Gouanus cum amicis paulo est liberior.

Vale, vir Ill., et me porro ama. Bern. 29. Nov. 1769.

400.

(396).

Misi heri, Ill. Gesnere, Alexandrum cum plurima gratiarum actione et Gouani pisces a bibliopola König missos et exemplum Physiologiae meae minoris Germanicae.

Ut recte valeas enixe opto.

Tristis est et subita mors Cl. Ottii⁵⁾.

1) Upsala 1768.

2) J. le Francq v. Berkhey, Natuurlyke historie van Holland. Amsterdam 1772 ff. BA II, 696.

3) Haller hat denn auch tatsächlich zu den Buchstaben A und E der Encyclopaedie einige Beiträge geliefert.

4) Miguel Barnadez, Professor am botanischen Garten in Madrid. BB II, 583.

5) S. Gesners Brief vom 16. Dez. 1769. Epist. VI, 26.

Alter Ottius non videtur ad negotium Austriacum satis fuisse idoneus. Ego quidem cum meis sic satis valeo et metuo mihi a frigore, quod mihi inimicum esse dudum deprehendi.

Fußlinus pene ad desperationem me adducit; videtur ob typorum defectum adeo misere opus meum protrahere.

Hillius mittit T. 14 sui operis, exspecto etiam Wallisi hist. nat. Northumbriae, pretiosum opus¹⁾.

Si Danica lingua te non abstinet, offerem Tibi superfluum exemplum Söndmöräe Strömii, satis boni libri et ad rem Tuam.

Non ante annum 1771 ad Encyclopaediam accedo, absoluta prius Bibliotheca anatomica.

Barnadez audio asperum scriptum in Linnaeum (etiam in me) edidisse, et nullam spem esse proditorum reliquorum voluminum Querii.

Nomenclator Oederi mere grammaticus est.

Ita vale et nos ut soles ama. Bern. 6. Jan. 1770.

401.

(398).

Duas epistolas Tuas gratus accepi, Gesnere amplissime.

Advenerunt Nova literaria, quae proximus currus Tibi adferet.

Hottingeri²⁾ potissimum puram dictionem cum voluptate vidi.

His diebus scribam ad Fuslinum, ut aliquantum acceleret editionem. Si aliquamdiu potes Gmelino carere, gratum facias, nec diu in legendo morabor.

Pallasii nova Miscellanea³⁾ legi, minus sunt ad rem meam, etsi laudem suo in genere merentur.

Addo Hippocratis mei II. volumen, quod ex prelo prodiit.

Etiam Housseti libellus⁴⁾ mihi dicatus Lausannae excusus est.

Res civiles me invitum saepe abripiunt. Heri tamen Codex Legum pro Aquilegiensibus mea opera emendatus sanctionem ducentorum accepit, sed multum otii res ad publicam valetudinem pertinentes abripiunt. Nuper admodum a me quaeritur, ut possint frequentes satis veneni exhibitiones coerceri, neque facile pensum est, cum arsenicum ad multas artes necessario requiratur: eo autem male feriati homines fere solent abuti. Lavateri libros recensueram,

1) John Wallis, The natural history and antiquities of Northumberland. London 1769. 2 vol. BB II, 600.

2) Joh. Jak. Hottinger (1750—1781): Diatribe de miraculis. Zürich 1770. ADB.

3) Die deutsche Übersetzung der Miscellanea zoologica. Berlin 1769. BB II, 566.

4) Housset, Sur les parties sensibles du corps animal. Lausanne 1770. BA II, 568.

sed alia censura est in Novis Gottingensibus. Tempus mite est, quod mihi gratum accidit, neque enim frigora fero, haec tamen hiems hactenus mihi salubris fuit.

Hillii tomum 14. exspecto et Wallisi hist. natur. Northumbriae, hoc splendidum opus.

Bibliopola de recudenda mea historia stirpium cogitat. Si id consilium locum habet, mittam hactenus aptum hominem trans Alpes, ut Lugani ver et aestatem transigat.

Vale et me ut soles ama. Bern. 20. Jan. 1770.

402.

(399).

Ecce Nova lit Gott., quorum unum folium maculatum est. Neque anni 1769 index perfectus, sed is sequitur.

Accepi etiam, Gesnere humanissime, fasciculum Suecicum. Quae legi non valde ad rem nostram faciunt. P. I. Bergius Plantaginem unifloram facit Litorellam, novum genus. Ben. Bergius egit de Gramine artificiali. Linnaeana nulla addiderunt.

Spero valetudinem Tuam integre iri reparatum et animitus opto. Et ipse plenus fui curarum, cum tres meae filiae ex ordine febre acuta laboraverint, duae cum erysipelate faciei, deliriis, pulsu mirifice intermittente, tertia absque erysipelate, cum gravi cephalalgia, quae etiam nunc febricitat. Mihi hiems praeter catarrhum non fuit gravis.

Doleo quod Michaelius meas recensiones suppresserit — fateor extra studia mea factas eo fine, ne Lavatero noceretur. Vereor etiam ut in metaphysicis noster Mosi par sit.

Mirum narras de Zieglero hebete(?).

Schinzii bonum libellum¹⁾ gratus legi.

Scripserunt heri encyclopaedistae, opus suum non esse suppressum:

His diebus libros ex Anglia exspecto, eos inter Tomum XIV. Hilli. Vix dimidiis ambitus plantarum hoc tomo absolutus erit. Pretium semper habebit a plantis Americae septentrionalis.

De Dionaea inaudivi.

Ex circulo arctico plantas habui ab astronomis Russicis lectas. Erant vulgares aliquae, erat nova, ut certe mihi ignota facie Saxifragae palmatae, sed minimo flore, tum Paeonia tenerifolia, Alpi-naeque aliquae.

Tu vero vale et me ut soles ama. Bern. 23. Mart. 1770.

1) Wahrscheinlich die „Abgekürzte Geschichte der Einpflanzung der Kinderblättern in Zürich vom Jahre 1760 bis zu Ende Mai 1768. Zürich 1769.

403.

(400).

De indicibus parum diligentes Gottingenses monebo.

Utique mea familia nunc convaluit, amicique mei Diesbachi viduam (quam Gottingae vidisti) pari morbo laborantem curavi multo usu cremoris tartari, sulfuris spiritu in dies ad semuncium sumto, inde ubi morbus remittebat, cortice Peruviano.

Te etiam convaluisse gaudeo amicorum optime.

Satis recte valui hac hieme praeter morbos catarrhales.

Hillius edidit partem I. Florae Britannicae cum 300 iconibus.

In magno opere pergit, et proxime tomum exspecto.

In nuperis Suecicis praeter Litorellam Bergii (Plantaginem unifloram) vix quidquam fuit argumenti botanici.

Neckeri puto Te vidisse botanica in Actis Palatinis, satis memorabilia ¹⁾. Incommodum est quod sola nomina trivialia Linnaei adhibeant, ut speciebus tamquam interprete uti necesse sit, quoties ejusmodi scripta legimus. Meesii observationes de sexu Muscorum non videtur legisse, mihi fateor suspectas.

Nihil vidi quod mereatur scribi. Vale, vir Ill., et me porro ama. Bernae die 26. April. 1770.

404.

(397).

Lapsus praesentissimum periculum Deus avertit. Nihil superest praeter tensionem dolentem in gastrocnemio, quae quotidie minuitur.

Etiam hic audio ex angina pueros periisse.

D. Canard Ebrodunensis praemium academiae Belgicae retulit, de arte observandi.

Sedum deciduum mecum floret, perpulchra planta, flore sublato amplissimo, ex alpibus ad Pedemontium spectantibus.

Egregium lego librum et ad agriculturam primarium: Arthur Young Tour through Great Britains northern provinces 8^o. 4 vol. ²⁾ Successus nuperarum culturarum per rem ipsam hic dijudicantur, Brassicae, Dauci, Raporum, Graminum ad alenda armenta et pecora.

In Acad. Gallica aliqua ad rem naturalem, ad botanicam nihil.

Hillii jam 16. tomus prodiit, erunt ad 30.

Filio meo ex Schulthessia nati robusti gemelli. Ita subito ei increvit suboles ad tres filias, pueros quatuor.

1) Natalis Joseph von Necker, Botaniker des pfälzischen Kurfürsten. BB II, 591.

2) London 1770. BB II, 580.

D. Arcangeli machinam ad sericum ex caldario trahendum per-
simplicem ad me misit delineatam.

Zimmermanni uxorem ajunt mori¹⁾. Dolebit et consolationem ad-
mittet. Vale, amicorum praestantissime, et me ama. Bernae, 12. Jun.
1770.

405.

(401).

Exemplum Pol. divaricat. siccum gratum foret.

Sedum deciduum pulchra planta est. Ejus exemplum mittam.

Die lunae quaestio de mea dimissione agitata est. Duae epi-
stolae sunt propositae, altera dilatoria, altera quam praetuli, haec
63 votis ad 26 adoptata est. Pro dimissione mihi danda nullum fuit.
Itaque rem puto nunc confectam²⁾.

Satis bene nunc valeo, caenam tamen meam, quae semper modica
fuit, aliquantum minui et lac perpetuo ei addidi.

Duo opera botanica in Anglia prodeunt, Hanbury, valde
leve³⁾, et Dicksii cum iconibus non bonis⁴⁾.

Nortonus legatus regis Britanniae redux valde me ursit, ut
conditiones acceptarem: Solam praesentiam desiderari etc. Verum
ego non oblitus sum laborum quos tuli, neque puto ea aetate tan-
tum onus me debere suscipere. In sinu Musarum et amicorum cupio
consenescere, sunt mihi 26 liberi aut nepotes. Fortuna mediocris
est, et angor lentore Fuslini, qui speratum honorarium in immen-
sum differt. Verum etiam ejusmodi mala saepe tuli.

In Hillii T. XV plantae plusculae rariores depinguntur, ordo
valde mirus est, et divulsae Malvaceae. Mediis adhuc est in Pen-
tapetalis. Fuslinum et Hirzelium vidi, illi consilia dedi, ut planitiem
Valesiae Alpesque Italiae obversas praeferat; boreales Alpes nimis
sunt perscrutatae.

Tu vero vale, praestantissime et amplissime Gesnere, et porro
me ama. Bern. 4. Jul. 1770.

1) Zimmermanns Frau starb am 23. Juni 1770.

2) Dem Manuskript liegt ein Zettel folgenden Inhalts bei:

(402)

Extract aus einem Brief von Bern

4 Julius 1770

L'affaire de Monsieur Le President de Haller s'est passée très heureusement
en Deux Cent. Les Voix étoient unanimes pour tacher à le faire rester icy. L'on
a écrit une lettre au Roy d'Angleterre, qui fait beaucoup d'honneur à Mon. de Haller.

3) William Hanbury, Complete body of planting and gardening 1770. BB
II, 474.

4) J. Dicks, The new gardeners Dictionary. London 1769. BB II, 601.

406.

(403).

Jacta nunc est alea, Gesnere humanissime, et in patria erit vivendum. Minus erit laboris, minus ut spero rixae et otii plus ¹⁾.

Brissonus Lugdunensis misit libellum sur l'histoire naturelle de Beaujolois ²⁾ et la Tourette historiam Mt. Pilati, cum aliqua paupere flora ³⁾. Plus est novi in Weissii Cryptogamia Gottingensi ⁴⁾, etsi metuo, ne nova ab eo delineata planta sit Lentibularia minor.

Sempervivum Tibi siccare jussi, splendidus est flos.

Saussurius his diebus Alpes adit glaciales cum Lord Palmerston; vereor ne nimis rapide eas percurrat, non caeterum aliquid ab eo exspectarem.

Quotidie fere 200 viri conveniunt ob annonae enormem caritatem et carnis etiam difficilem comeatum, segetes tamen satis laetae sunt, sentenae quidem. Pretium quali frumenta venduntur nemo nostrum vidit, ne annis quidem 1709 et 1749 qui durissimi fuerunt.

His diebus Sprünglini ⁵⁾ aves vidi, libros et mineras. Illas numerosus habet inque iis multum ponit laborem. Totum autem se cupit studiis dare.

Eadem semper mea de Fuslino querela est. Quid de meis operibus futurum sit ignoro, nunquam eo quidem passu ad metam pervenient me superstite. Pergo interim in labore, cum acta deserere me poenitet.

Estne in Tomo 13. Petrop. aliquid ad naturalem historiam?

Bargelatus ad me scripsit, Demonstrationes elementarias non esse opus Rosier, sed la Touretti, videntur aliquanti id opus facere.

Tu vero vale, vir amplissime, et me ut soles ama. Bern. 18. Jul. 1770.

407.

(404).

In Cryptogamia Weissii debet tabula esse mirificam iconem habens Confervae geniculatae, quam juvenis iste cum Lentibularia minore confudisse videtur.

Mire Fuslini meam indicationem operis mei, corruerunt. Ordo utique est chronologicus, difficilior, sed perutilis.

1) s. Ann. 2, S. 436.

2) Mémoire historique et oeconomique sur le Beaujolois. Avignon 1770. BB II, 607.

3) Voyage au mont Pilat, contenant des observations d'histoire naturelle de cette montagne et un catalogue des plantes qui y croissent. Avignon 1770. BB II, 564.

4) Fried. Wilh. Weiss, Plantae cryptogamiae florum Gottingensis. Gött. 1770. BB II, 603.

5) Der Pfarrer Daniel Sprüngli geb. 1720, der eine Naturaliensammlung besaß und 1789 Professor der Naturhistorie wurde. Leu, Suppl. V, 581.

La Tourette, verus auctor *Demonstrationum elementari<ar>*-um, vir plantarum amator potius est quam botanicus. —

Gmelinus junior Londino ad me scripsit, laudat discendi opportunitates et aliquamdiu in ea urbe haerebit.

Marggravius Anspacensis me de scaturigine salsa consuluit, de qua quaerit num sumtus toleret. Nobis ejusmodi scaturigo incredibilis thesauri loco foret.

Messis quidem fortunatissima est per summos ardores caeli, neque tamen valde spero cerealia ad aequum pretium reditura.

Valde adtristor macula, quae mihi coram oculo d<extro> observatur cum perpetuaincertitudine, metuo ne ejus oculi usus me integre destituat. Equidem merui; solem et claram lucem experior adversissimas. Metus est aliquis ne Solander cum Bankesio interierit, qui ad Boream(?) observandum, et rariora naturae colligenda, in mare pacificum duos ante annos profecti fuerant¹⁾.

Vale, vir Ill., et me porro ama. Bernae 15. August. 1770.

408.

(405).

Ecce Gesnere carissime aliqua nova.

Ocūli mei valde teneri sunt, ut oporteat in modica luce scribere. Macula velum est nigris punctis distentum, retinae pars ut puto opaca. Libros aliquos accepi, non maximi momenti. Misit Portalius historiam anatomes et chirurgices²⁾, vastum neque undique malum opus, etsi v. g. G. Entium in seculum XV. ponit³⁾.

Hillius aliud opus edidit, Herbarium Britannicum, quod nondum vidi. Ipse nimium fecundus auctor non possum tamen quin doleam adeo celeriter eum virum sua opera expedire.

Munages jun. aliquid scripsit botanici argumenti, mihi dictum. Weissius immaturior ad difficillimum laborem accessit. Neque Gottinga muscis favet.

Gmelinus et ad me similes dedit literas.

Tissotus magnum opus de nervorum malis⁴⁾ molitur.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 30. Aug. 1770.

409.

(406).

Ill. Michaelis commentarium non vidi. Is nuper se directione Societatis Regiae et Novorum lit. abdicavit. Mallem in physicis peritos viros consulisset.

1) Als Begleiter Cooks.

2) Antoine Portal, Histoire de l'anatomie et de la chirurgie. Paris 1770. 6 Vol.

3) George Ent, flandrischer Arzt, der im 17. Jahrhundert in London lebte. Bekannt als Verteidiger Harveys. Gurlt-Hirsch II, 290.

4) Traité des nerfs et de leurs maladies Paris 1782, 4 vol.

Oculus meus, de dextro enim agitur, tener est, macula ei obversatur punctis nigris distincta, umbra vero gaudet, neque hactenus me laborantem destituit.

Etiam in nostra ditione latam stragem grando 4. Sept. edidit. Quare ante octiduum decretum est 720 000 mensuras s. libras 14 400 000 frumenti extra Helvetiam emere. Ex Pedemontio primum et Insubria 2 000 000 l. emtae sunt. Pretium enorme est 140 bazenor. pro 100 l., et metuitur ne vere proximo idem augeatur.

Tissotus de epilepsia librum¹⁾ edidit. Portalii historia cum plurimis erroribus aliqua habet utilia.

D. Rötböck plantas aliquas Grönlandicas et Indicas Hafnia misit.

Novus mihi labor incumbit ex cautelis, quas putamus adversus contagium requiri²⁾, lazarethum aedificandum, leges pro ejus regimine sancendas etc. Nova Gott. nunc spero me accuratius accepturum, Michaelius, vir doctissimus in ejusmodi rebus erat negligentior.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 22. Sept. 1770.

410.

(407).

His totis diebus non satis recte valui, catarrhosis moliminibus, etiam singulari specie vertiginis afflictus, quae non est vertigo. Visa mihi sella mea adscendere, inde rapide me egi, si starem, certissime caderem. Venam secui, et malum hactenus cessit.

Audio frumenti pretium apud Vos diminutum esse. Nobis perstat enorme, neque hoc seculo unquam visum, ut 100 librae paulo minus 150 baz. veneant. Undique jussimus coemere, verum rerum gestores contraria consilia tenaciter secuti, magnam temporis fecerunt jacturam. Aliqua copia advenit ex Insubria, speratur ex Pedemontio.

Mira est Vestratium apta ad phtisin diathesis. Oportet vel in diaeta vel in aere aliquid latere.

Etsi a peste non nimis metuo, tamen trium nosodochiorum et totius encheireseos dabo delineationem. Tria dico, suspectorum, infectorum, convalescentium.

D. de la Lande secunda vice Bernae fuit: in encyclopaedia Ebrodunensi sua symbola promisit. Parisinam ait in arcem Bastille esse convocatam. Accepi demum tomum 1767 Comm. Acad. d. Sc., parum habet scopi mei.

1) *Traité de l'épilepsie.* Paris 1770.

2) In der Levante war im Sommer 1769 eine Pestepidemie ausgebrochen, die in der Folgezeit nach Ungarn, Siebenbürgen, Rußland und Polen übergriff und sich bis Schlesien verbreitete. Näheres bei Sticker, *Die Pest*, Gießen 1908, 252 ff.

Arthur Young dat novum agriculturae systema, de quo mihi plurima spes est. Universam Angliam obivit, ut utique fructuosas encheireses videret. Hillium audio magnum opus continuare, misit ad me T. XVI., quem nondum accepi.

Novum Tomum E. N. C. vidi, non valde floris illis, rerum siccissima delectatus. Juvenes volunt in quaque regiuncula integras dare florulas, ut millies vulgatissimae plantulae repetantur. Quos praestaret unicam plantam recte describere et adserere.

Ex nuperrimis Anglicis spero absque bello omnia iri compositum, nisi regis Hispaniae pertinax animus obstiterit. Caeterum subito lites omnes in Anglia conquieverunt.

Multa a Commersonio ¹⁾ expectantur, qui Brasiliam vidit et insulas maris pacifici, nihil valde ab Adansonio.

Vale, Ill. Gesnere, et nos ut soles ama. Bern die 17. Oct. 1770.

411.

(460).

Invitus fere, ut in anrem dicam, Illustris Gesnere, in compilando edicto adversus contagium versatus sum, qui et ipse ex literis Ill. Tralles ²⁾, quas hic Tecum communico, ceperim dubitare, num omnino pestis sit, quae in Polonia grassatur. Multa mollivi tamen et proxime sub prelum dabitur, utraque lingua.

Accepi fasciculum ex Anglia, fere practicum, praeter nonnihil Hillii, Schabolii ³⁾ etiam hortensia, et Youngii egregium per Angliam oeconomicum iter legi.

Non video ut vitae genus mutem, tot ab annis adsuetus. In nupera vertigine accurate observavi „mentem sibi perfecte constare, sensum esse elevati sedilis, deinde vehementer depressi, lapsum me si erectus stare non impediturum, nisi fulcrum corripere, durare forte 30'', provocari, si vel capite cernuo aliqua quaererem vel sternutare, etiam emungerer“. A plethora ut mihi caveam, adtentus ero, in diaeta quidquam severius instituere difficile foret. Mentis vires non sentio diminutas, neque memoriam, estque in me ad studia juvenilis alacritas.

De frumento nova Tua avide lego; nostrae res frumentariae malo sunt in statu, et omnia lentissime geruntur.

Undique audio Rousseaum in botanicis laborasse, montes in Delphinatu adiisse, nescio quid minari. Ex la Tourettii Pilato rem maximi fore momenti expectares. Nunc Parisiis degit.

1) Philibert Commerson (1727—1773), berühmter Arzt und Naturforscher, unternahm 1766 eine Expedition um die Welt. *Nouv. Biogr. Gén.* XI, 346.

2) Balthasar Ludwig Tralles (1708—1797), berühmter Praktiker in Breslau. *Gurkt-Hirsch* V, 712.

3) Roger Schabol, *La pratique du jardinage*. Paris 1770. *BB* II, 448.

Encyclopaediae Ebrodunensis Tomus I. prodiit mihi dicatus. De Parisiensi audio, ipsos bibliopolas eam in arce Bastille deposuisse, tres nempe tomos priores recusos.

Prima stamina Bibliothecae Anatomicae absolvi. Soleo enim, fere ut de Virgilio legimus, primum ambitum operis delineare, in eum sensim quae nuperiora disco disponere, denique stilum reformare.

Botanica Bibliotheca lentissime prodit.

Ab Hillio tomum XVI. exspecto.

Gouanus aliqua misit.

Schmiedelius (crederesne?) se amicum dicit, plantas Alpinas petit, se Gesneriana nunc confertim editurum. Sic Haenius multis se purgans, negans se inaudivisse de Scopoli consilio. Respondi facile esse remedium, publicaret vel priorem meam epistolam, vel hanc meam nuperam, sed integram. Verum vereor ne malus et invidiosus viro sit animus. Interim neque Cranzii placet acrimonia. Jacquinus humanior est et moderatus. Multa promittit edenda.

Tu vero vale, vir Ill., et me porro ut soles ama. Bern. die 31. Oct. 1770.

412.

(545 ⁵/₁₀).

Duas Tuas epistolas, praestantissime Gesnere, recte accepi, literae enim a latronibus pleraeque abjectae die 20 Bernam redierunt; nunc audio etiam duos complices Lenzburgi in carcere esse, Friburgi duos alios, qui medius tertius cursorem Friburgensem aggressi sunt. Tristia haec tempora omni modo; hactenus pax hilarat Angliam inter et Hispaniam retorta, grata uti certe ex Gallia pro re indubitata scribitur.

Metuebam ne forte in epistola Tua nummuli forent pro Oedero opere missi. Non certe moneo, qui longe plura Tibi debeam.

Noster modius est 100 ad 115 l., panem inde reddent ad 95 l. Libra est 17 unciarum, quarum grana sunt ut puto 480.

Speramus ex Italia 300 000 mensuras nos habituros, singulam 20 l. Reliquus commeatus periclitatur ob curruum et navium defectum. Ad Fusl<inos> scripsi, imprimerent diligentius aut operi renuntiarent. Haenius scripsit indubitata pestem esse, Austriacas tamen terras liberas, similia Jacquinus scripsit. Plurimum negotii mihi haec facessunt, quotidie convenimus et omnia edicta ego demum cogor exarare. Mittam proxime instructionem, custodiam valedudinis.

Judaeos laneis pannis negotiantes jussimus abire. Quinquagintae pilae, ballen, Gossypii Novioduni collectae jacent, quarum fata vix novimus determinare. Non credo periculum subesse. J<u>d<aei> ex Mediterraneo mari adveniunt locisque suspectissimis.

Heri legem salutarem tandem magno conatu extorsimus, qua divisio latifundiorum (Sehengüter) facilior redditur.

Ex Anglia Monroum accepi de aquis mineralibus, ex Gallia varia. Tu vero vale, vir Ill., meque porro ut soles ama.

413.

(408).

Ecce, Gesnere praestantissime, literas retentas jam Trallesii; si quid novi habes lubenter rescivero. Ecce etiam edictum nostrum, multo minus asperum quam Gallicum illud, in quo parum aut prudenter aut aequiter imitati sunt edictum adversus veram Belgradi et in Ungaria saevientem pestem factum. Nos non potuimus, quin hactenus Gallorum sequeremur legem, ne commercia interrompantur. Praeparavi etiam jusjurandum et testimonium pro mercibus Galliam adeuntibus. Valde tamen probabile videtur nullam veram pestem in Polonia esse, cum Russi hiberna per eas ipsas provincias adeant.

Valde displicet altum pretium nostrarum frugum. Hic aliquanto minus est, fere 30 baz. pro 20 l. 17 unciarum. Sed metuo proximum ver.

De Encyclopaedia Parisina non audio, Ebrodunensis sic satis nitida est. Fuslino scripsit filius, me exemplum illis negaturum, nisi suis promissis stent. A vere 1769 hactenus 72 tantum folia impresserunt, et etiam nuper suspenderunt laborem. Melius recusassent conditiones, habebam enim hic bibliopolam.

De Comite de Bute scripsit D. Pringle, in insulis Dalmatiae vicinis reperta esse nuper copiosa, ossa undique rupe circumdata. Ipse Venetiis degit, rerum naturalium valde curiosus.

Schmiedelius invidet et injuste saepe mecum egit. Mittam tamen plantas siccas; valde delector spe, me senum absque odiis tenus acturum. Albinus, Hambergerus, le Cadius, Whyttius abierunt: Haenius, Senacus meliora promittunt.

Tu vero vale, vir Ill., et me porro ama. Bern. 7. Nov. 1770.

414.

(409).

Vellem, praestantissime Gesnere, pondus Vestri modii indicares expressum in unciis. 100 l. veneunt 6 florenis, quod enorme est discrimen. Gratum est quod causam langnoris mei operis me doceas, sed sibi ipsi nocent, et praestitisset id non recipere. Filius cum F<uslino> expostulavit, silet iste.

Schmiedelii animus non videtur eam laudem mereri, quam dotes ingenii, etsi etiam istae non sunt tantae: Anatomica ejus mala sunt; in botanicis video (in Lichene) industriam ejus longe infra Michelianam esse ac mihi, cum Delio, ut poterit [mihi] nocuit, et nunquam nisi maligne mecum egit. Verum ego nunquam didici negare quidquam petenti. Otium aliquantum parcus est, sed seligam tamen. Ipse misit aliquando aliquas, ridicule vulgares.

Nescio an scripserim de ossibus in Dalmatiae insulis Cherso ac Ossa mediis in rupibus repertis, cura Comitum de Bute. De iis ut puto aliqua publica dicuntur a D. Symmondo¹⁾.

Athei valde dolent de persecutione, nullos libros Parisiis prodituros. La Landius hic importunissime suas opiniones obtrusit cuique advenae. Ita fere dubito de encyclopaedia Parisina.

Tu vero vale, vir dignissime, et me ama. Bernae die 13. Nov. 1770.

415.

(410).

Pax, quam ex insigni actionum incremento certam putabamus, videtur retrorsum relabi. Miserearis eorum qui Pomeraniam adeunt, durissimo sub sceptro victuri.

Nostra uncia paululum a Parisina differt, librae unciae sunt 17. Annonae status nihilo melior est quam nuper. Adveniunt equidem paulatim emta in Monteferrato frumenta.

Videtur tamen vel ex fossa illa qua Warsavia circumdatur metus esse pestilentiae.

Circa gossypium, cujus enormis vis Massilia advenit, valde solliciti sumus; audimus enim negligenter purgari, neque aperiri sarcinas, et tamen gossypium media ex peste Thessalonica fere advenit. Speramus vero propediem nos rectius de purgatione Massiliensi fore edoctos. Interim bonas horas hae mihi curae furantur.

Nescio num videris nupera quaedam semidocta de plantis Hispanis Gallica volumina.

Accepi Gmelini T. III²⁾, videtur nihil ultra praeparasse. Habebat tamen suum ingens neque exhaustum iconum volumen, quod vidi, egregie vivis coloribus depictarum.

Nummos rependit Cl. Schulthessius.

1) Vielleicht der Historiker John Symonds (1729—1807) in Cambridge. Dict. Nat. Biogr. LV, 271.

2) Der dritte Band des Iter Sibiricum, der von seinem Neffen Samuel Theophil Gmelin 1768 herausgegeben wurde. BB II, 266.

Heri a vidua Munchhusia tristem nuntium accepi, virum Ill. die 28. Nov. obiisse, annos natum 52. Vereor ne ea jactura Gottingae acerba accidat, et in sinu gaudeo me cancellarii munus repudiasset. Ita recte otium mihi aliquod redemi liberamque in obscura conditione vitam. Totum enim me literis reddidi, omissis omnibus illis vitae urbanae collegiis et confabulationibus. Valetudo mihi potius melior est quam dudum.

Ita vale, vir Ill., et me porro ama. Bernae die 5. Dec. 1770.

416.

(411).

Subito remitto Eisfeldii catalogum, aliqua notavi desideria mea, Gesnere amplissime.

Adeo etiam in opinione de peste Störckius a Haenio dissentit. Vereor tamen ob r<egis> Borussiae erogatas impensas et strictissimam militum limites custodientium catenam, ne vere contagiosum sit malum. Nimios tamen esse fere metus nostros non dissimulo. Gossypium tamen Massiliense libere transibit, postquam de modo quo purgatur a collegio commercii Massiliensi responsum accepi. Id nuntia si placet Cl. Schulthessio.

Multo major mea est formido de annonae raritate. Hac hebdomade de ea egimus. Frumenta nostra tardissime adveniunt, pretium augetur in dies. Quare severissimas leges tulimus contra eos qui clanculum frumentum exportarent, etiam morte denunciata. Novicastrenses mercatu abesse jussimus. Biennae et Novaevillae bonam pecuniae summam mutuo dedimus, ut sibi frumentum curent. De nonis mensibus alendis ego certe quam maxime sum sollicitus.

Fuslini, cum manuscriptum ultra partem botanicam me misurum negarem, promiserunt se in hebdomadem duas plagulas impressuros. Intra hunc mensem tomum I. absolvent, cujus exemplum Tibi ut reddant jubebo. Encyclopaedia Parisina videtur suppressa, damnante eam potissimum cancellario.

Nova calamitas impendet belli Anglorum cum Bourbonis, unde clauso mari etiam augetur frumentorum caritas.

Vale, vir Ill., et me porro ama. Bern. 15. Dec. 1770.

417.

(412).

Multum hic in consensu 200 virorum egimus de re annonaria. Pretium hic fere est 150 bazenorum pro 105 circiter libris 17 unc. Interdiximus mercatu Neocastrensibus, Biennensibus et Novaevillae incolis; agitur proxime de claudendo undique dominio nostro, quae quidem non erit mea opinio. Solodurum omnem comae ad alias ditiones exitum vetuit. Et nostra frumenta lentissime adveniunt

tum ob hiemen, tum ob copiam eorum qui ex Italia frumentum accersunt. Ego meum frumentum, vectigale Goumoense, ad 320 mensuras totidem thaleris 30 b. vendidi. Decimae, quae erant 500 francor. aestimatae, venierunt 974 francis.

Adventat Vienna exemplum Horti Vindobonensis ¹⁾ vivis coloribus picti Jacquini; triginta sunt tabulae, quae 3 ducatis veneunt. Misit cum reliquo duo exempla, si alterum placet emere, mittam. Pulchrum opus est, constabit tabb. 150, ubi plenum. Vidi serum ferentem D. Jagenhaus, eundem qui Archiduces inoculavit, virum candidum et humanum, a quo multa audivi de Swietenii pleno imperio, praecipitibus experimentis Störkii, Haenii simulata pietate, petulantia Cranzii etc. Me bonus genius querelis academicis eripuit: etiam hic videntur desaevisse lites eorum qui injustissime me pro vendito Gallis homine habuerunt. Itaque et mihi vivo et non habeo quid de sorte mea valde conquerar.

Gmelini Flora data est a. 1768, edidit ex chartis patriis nepos. Praefatio indicat nihil ultra a Cl. viro praeparatum esse: tabulas tamen multo plures habuit, quas et vidi. Aliquot classes sunt, Apetalae aliquae, Stellatae, Prismatae. Vestri bibliopolae in omnibus suis rebus tardissimi sunt et videntur laborem metuere. Praefatio mei tomi I. necdum excusa est.

Plantae Hispaniolae a quodam des Portes, qui in ea insula medicinam fecit, descriptae sunt, medica magis quam botanica. Mea sunt volumina, sed necdum legi. In Mem. de l'Acad. de Dijon etiam aliqua botanica reperio, de cultu potissimum Apocyni, sed etiam in elogio urbis Mugden ab imperatore Chinae nuper scripto et Gallice verso plantae celebriores Tartariae orientalis dicuntur cum animalibus.

Munchhusii locum occupat D. de Behr ²⁾. Nemo me magis amat Munchhusio. Sub finem vitae extorsi viro optimo ut Commentarii Soc. Reg. Gottingensis prodicenti prodibunt, nundinis paschalibus acta a. 1769 et 1770, inde vetustiores. Michaelis curam societatis deposuit, in qua certe negligenter se gessit, nunc spero omnia melius processura.

Ecce lapillos aliquos ex comitatu Marmaroz, quos mihi dedit Jagenhausius, crystalli utrinque pyramide terminatae. Tuis in thesauris locum habere possunt, ego nihil ejusmodi collegi.

Vale itaque et me porro ama. Bernae die 26. Dec. 1770.

1) N. J. Jacquin, Hortus botanicus. Pars I Vienna 1770. BB II, 491.

2) Burchard Christian von Behr wurde am 20. Dez. 1770 zum Curator der Georgia Augusta ernannt, starb aber schon am 26. Dez. 1771. Pütter II, 13.

418.

(413).

De praefecto Badensi miror. Nobis frumenti pretium aliquantum auctum est. Lentissime adveniunt frumenta Italica et Massiliensia. Pulmentum, quale apud Vos descriptum est, coquunt, addita tamen carne; ajunt hominem operarium posse uno bazeno in diem vitam sustentare. Ipsi cum egeamus, tamen Novaevillae non ultra 14 dierum annonam habenti reliquam 1600 mensuras (20 l.) dedimus, nummos vero mutuos, et ipsis et Biennensibus et Neocastrensibus et pago Chaux de fonds et omnibus nostris municipiis. Magnam certe aerariam jacturam facit.

Parisini intercesserunt, valde desiderant, ut pro sua Encyclopaedia subsidia mittam. Satis displicet hic labor, cum potissimum icones valde corruptae sint, tentabo tamen.

Negligentia Fuslinorum fidem superat. Non adeo nummis parcunt quam negligent omnia. Promissam chartam puram, tabellam initialem, omnia praetermiserunt, ut bibula charta exemplum votivum sit impressum.

Mea opsucula minora reciduntur altero tomo aucta.

Ita vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 16. Jan. 1771.

419.

(414).

Misi heri, Gesnere clarissime, Tibi Horti Vindobonensis primas triginta tabulas, quarum pretium est trium ducatorum. Quando misisti, curabo eas ad virum optimum.

Accepi etiam libros aliquos Anglicos. Inter eos est ingens de materia medica opus Alstoni 2 vol. 4.¹⁾ Inspexi, videtur compilatitium.

Nos in nostra penuria tamen primum Novavillanis, nunc et Biennensibus frumenti 3200 mensuras misimus, cuique civitati 1600. Pretium potius aliquantum decrevit, et Italicum frumentum paulatim advenit. Panis pretium est circa 6 cruz.

Ridiculum foret Vestrorum delirium, nisi se in ultimam miseriam praecipitent.

Rex Borussiae intercessorias pro Novocastrensibus literas misit, ad quas negative respondimus.

Salis etiam fenus nobis maligna est, ut undique eum conquirere necesse sit. Culpa est Gallorum, qui datam fidem non servarunt.

Proxime Hippocratis novum tomum mittam.

Bibliothecae meae nullum habeo exemplum. Imprimunt tamen secundam partem.

Vale et me porro ut soles ama. Bern. 26. Jan. 1771.

1) Charles Alston, Lectures on the Materia medica etc. London 1770, 2 vol. BB II, 418.

420.

(415).

Accepi tres ducatos, Cl. Gesnere, et ad Jacquinum curabo, porroque exemplum continuabo Tibi destinatum.

His diebus tandem aliquando exspecto Nova literaria Gottingensia. Hillii Herbarium Britannicum aliud est a priori, cum iconibus satis nitidis, non tamen optimis. Liber ejusdem auctoris de ligni fabrica ¹⁾ hic cum herbario venum prostat.

Commersonium video ex Ephemeride du citoyen Junio M. 1770 in Insula Francica fuisse. De Solandro nihil hactenus novi advenit, ut metus sit periisse.

Schmiedelii ac Trewii tabulas curabo ut habeam.

Vestrum Klijogg Anglice versum accepi.

Quid Tibi pro diss. Eisfeldii debeam, aveo scire, ut me aere solvam alieno. Alstonum lego, senilis est confabulatio. Necdum perveni ad partem botanicam.

Frumenti pretium diminutum esse gaudeo.

Burgundi adeo impostores nobis annuos debent cent. 72000, cum parcissimi liberi sint. Quare urgebo ut cum Bavaris transigatur. In eo enim sumus, ut fenus nostra salis exhausta sit.

Mala hic consilia agitantur de admittendis in majorem senatum juvenibus, tamen ut ex ordine natali voti facultatem consequantur. Ego vero omnes in forma reipublicae mutationes abhorreo.

Caeterum bene valeo, qui mites hiemes facilius feram, tener ad frigora. D. de Behr Gottingensis Academiae curam suscepit.

Hillius de fabrica ligni meliora et utilia mihi visus est docere. Multa singularia. Vasa passim replevit. Coronam describit lignum inter et medullam, ex qua rami prodeant; medullam post missos ramos subnasci. Eximium, si fides adhiberi potest, opus.

Vale et me ut soles ama. Bern. 9. Febr. 1771.

421.

(416).

Inter Suecica quae numerosa accepi [est] <sunt> Linnaei (s. potius discipuli) insulae Akeröensis plantae ²⁾ et Rezii plantae Scaniae ³⁾, has inter novum genus fungi subtus villosi.

Accepi etiam a Rotböllio ⁴⁾ plantas Islandicas, multas novas cum iconibus; vult enim de iis scribere, tabulae VIII satis bonae sunt. Struvius Lausannae scripsit de spiritu ex vini racemis ex-

1) The construction of timber from his early growth. London 1770. BB II, 362.

2) Upsala 1769, 4.

3) In der K. Svenska wetensk. Landbr. 1769. BB II, 551.

4) Christian Friis Rottboell (1727—1797), Professor und Direktor des botanischen Gartens in Kopenhagen. Gurlt-Hirsch V, 93.

pressis parato: cujus usum, nescio quare prohibitum, ego curavi reddi, antiquata lege qua prohibebatur.

Encyclopaedia Parisina certo procedet, et ego 20 folia nunc elaboro, anatomica omnia.

Hillianorum operum pretium bibliopola dicere noluit aut non potuit, sed anatomen ligni quovis pretio voles emtam, itaque mitam. Alstoni opus nunc legi, fere collatitium, non absque iudicio, quod plurimum interponit. Propria nova parcius habet, neque fere plantas, quarum partes in medicinam recipiuntur, sua ad genera refert.

Diatericum non habent nostri.

Neque hic pretium frumenti dissidet. Pedemontanum tamen paulatim advenit, sed lente. Pretium 100 l. est 9 florenor. aut paulo ultra. Librae sunt unciarum 17.

Cum paulum ex catarrho aegrius haberem, funebres honores fuerunt reddendi patri generi mei Jenneri ex longo morbo demortui. Ita acutus mihi catarrhus est, ut etiam sanguinis nonnihil exscreaverim. Verum solita diaeta procul dubio haec omnia brevi <tempore> subsidebunt. Perniciosum in omni catarrho coffeae usum esse experiendo didici, sic solitae meae absinthii th<eae>, qua podagram nunc a novem annis arcui. Caeterum bene habui, cum alias rheumaticos dolores et ex haemorrhoidibus tumorem hibernis temporibus sim passus.

Fuslinos Tibi spero exemplar meae Bibliothecae curasse.

Ita vale et me porro ut soles ama. Bern. 23. Febr. 1771.

422.

(417).

Nova Literaria gratis accipio, patere quaeso ut sint grati animi testimonium. Accuratius porro spero proditura. Dissertatiunculam Tibi serva. Mitto hic Hillium de ligni fabrica. Reliqua Suecica vix magnum momentum habent in re herbaria. Anatome Xiphiae et Pectorii Americani et elegans inventum ad mutandum aerem pertinent ad historiam naturalem.

Heri agriculturam A. Youngii accepi, vastum opus, et Transactionum vol. LIX duplex.

In Encyclopaedia versor pene poenitens suscepti operis, plus enim video mihi desperare otii quam putaveram.

Neque nobis frumenti pretium imminutum est, neque tamen fora frumentis destituuntur. Advenit lentissime frumentum exterum. Admonuimus universos subditos, ut de communibus pascuis aliqua partiuncula pauperibus colenda detur, et nos ipsi sementem dabimus.

Ita ad minuendas illas barbaras consuetudines aliquantum progressum est, non sine ignarorum resistentia.

Magnum fasciculum graminum exspecto a Cl. Rainville.

Fuslini aliquanto diligentius in opere progrediuntur.

Bonus senex Dortous de Mairan¹⁾ 93 anno suae aetatis obiit, nuper a magno morbo restitutus. Ejus et Reaumurii amicitia per multos annos sum gavisus. Nunc paulatim ut folia vertente autumno eae mihi gratissimae frondes dispereunt.

Veram et perniciosam pestem esse, quae nunc in Polonia clanculum superest, Sprögelius²⁾ scripsit. Mekelius vehementer aegrotat.

Vale, vir Ill., et me ama. Bern. die 6. Mart. 1771.

423.

(418).

Noli quaeso, Gesnere clarissime, de mittendo Phytopinace cogitare. Asteriscus casu missus est, neque opere careo, sed Gouanus desiderat, cui gratum erit donum.

Pro transmissis scriptis grates ago. Pretium frumenti non minuitur, non ut tamen annonae raritas.

In Phil. Trans. n. 59 describitur planta Subulariae valde adfinis, nomine Eriocauli decangularis.

Swietenius auctoritate sua abusus est: abutitur qui forte succedet Haenius.

Bibliopola pretium Hillii ipse ignorat.

Podagrae paroxysmum patior, sed mitem, unius pedis. Nocet tamen, ob perpetuam librorum lectionem, qua solitudinem meam consolor. Nostri enim cives pene ad unum omnes post matutinos labores horas, quas vacuas putant, ludo dant.

A quodam de Rainville, qui graminibus unice operam dedit, fasciculum exspecto graminum, sed mihi non satis videtur in libris versatus.

Saussurius in Valle Tellina cogitat moram aliquam facere. Solet nimis magna itinera facere, robustissimus caeterum homo.

Tu vero vale et me porro ama. Bern. 20. Mart. 1771.

424.

(419).

Accepi Gesnere clarissime Nova litteraria, ea proximus currus publicus adferet.

1) Jean-Jacques Dortous de Mairan (1678—1771), französischer Physiker und Schriftsteller. Nouv. Biogr. Gén. 32, 936.

2) Joh. Adrian Theodor Sproegel (gest. 1807), Schüler Hallers, Arzt in Berlin. Gurlt-Hirsch V, 496.

Bene est quod insultus Tuus satis terrificus promte deferbuit. Gesneri opus¹⁾ nondum accepi, id indicavit mihi Schmiedelius se misisse.

Nostra etiam annona nondum subsedit, et aliquae frigidae noctes avenae potissimum, sed etiam secali nocuerunt.

Literas habui a Comite de Bute, qui Cannani rarissimum opus²⁾ anatomicum ad me misit.

Die Mercurii Societas Oeconomica praemia sua distribuit. De Alpinis laboribus libellus, qui praemium meruit, Dickii fuit, olim filii mei informatoris.

Saussurium metuo nihil unquam perfecturum.

Acerrimum scriptum nativi Neocomenses contra commissarios ediderunt, de quibus vehementer queruntur: „sibi civitatem promissam esse, ut magistratui terrorem imprimerent: delusos deinde se, cum iis non egerent“; crudelitatis summae et injustitiae exempla addunt.

Advenit hoc momento Rainvilli fasciculus graminum, videbo quid contineat.

Commentarii Gottingenses necdum prodierunt, sed prodibunt proxima aestate, aliqua parva mea sunt.

Si forte ampl. Heideggerus de amico suo Ougspurgero quaerit, dicere potes quae certa sunt: Laborat ictero, hepar paulum durius percipitur, nausea summa et animi dejectio, agrypnia. Videntur tamen med<icamen>ta effectu non carere, et bilis plurima per alvum decedit.

Vale et nos ut soles ama. Bern. 5. April. 1771.

425.

(420).

Bene Te valere gaudeo, Gesnere amplissime.

Ougspurgerum obiisse subita rerum conversione facta nunc noscis. Eum inciderunt me praesente: hepar flavis imperviis, molibus tamen insulis plenum, exsanguae. Ab ipso pyloro pene ad coecum intestinum sanguis in cavum intestinorum effusus, qui denegato per hepar transitu denique vasa ruperat.

Podagrae iterum aliquem insultum passus delibis sum pedibus.

1) Der zweite Faszikel der Opera botanica Conradi Gesneri, Norib. 1771. BB II, 365.

2) Giambattista Canano (1515—1579), Professor der Anatomie in Ferrara, später Leibarzt des Papstes Julius III. und Erzbischof von Ficarolo. Sein Werk: „Muscolorum humani corporis picturata dissectio“ (o. O. u. J.) soll zu Hallers Zeit nur noch in vier Exemplaren vorhanden gewesen sein. BA I, 192. Gurlt-Hirsch I, 654f.

Etiam nostrae provinciae vobiscum finitimae annonae caritate et raritate laborant, sed et carniū pretium auctum est.

Advenit mihi Comm. Acad. R. Scient. anni 1768. Non videtur ex tabulis multa continere mihi utilia.

Buffoni de avibus opus non perinde anatomicum est, ut prius illud de quadrupedibus; caeterum per quasdam familias aves disposuit.

Encyclopaediae supplementum misi ad Robinetum¹⁾. Aretaeum meum nunc imprimunt et minora opuscula.

Rainvillii gramina obiter inspexi: in Batavia lecta sunt a diligente homine, plurimae varietates. Quaeritur bonus homo ubi possit Scheuchzeri Agrostologia reperiri. Si Tiguri prostat, emerem et donarem viro proficiendi cupidissimo.

Vale et me ut soles ama. Bern. 4. Maj. 1771.

Valde averem rescire num Vestri cum Bavaria de sale emendo convenerint, et in universum quo pretio. Angimur a Gallis nulli contractui satisfaciētibz.

426.

(421).

Subito has literas praecipito. D. de Saussure Luganum petere vult, etiam me suadente, ad plantas legendas. Petit aliquas commendatorias. Ego quidem non video ut Lucernati praefecto, ego ignotus homo, hominem tradam, sed Locarni Tigurinus vir praefectus D. Meiss²⁾, ad hunc literas si posses commendatorias dare, faceres rem gratam et publice proficuam. Est properato opus. Ego dabo ad praefectum Vallis Modine.

Utinam Störkius nonum in annum suas laudes differret.

Hillius scripsit mittere se tomum XVIII. sui magni operis.

Chirurgus ille Scheuchzerum non adtulit, de quo interim grates ago.

Encyclopaedistae iterum me sollicitant, ut ad D et E supplementa parem. Ajunt se cum ineunte anno prelo suum opus prodituros.

Cras aut postridie iterum concilium adibo, hactenus restitutus, tamen debilibz nescio quomodo genubz.

Immensam vim dissertatiuncularum accepi Vindobona, botanicae parum, sed frugis bonae.

Vale, vir Ill., et me porro ama. Bern. 15. Maj. 1771.

1) Jean-Baptiste-René Robinet (1735—1820), französischer Literat. Nouv. Biogr. Gén. XLII, 441.

2) Ludwig Meiss, seit 1770 Landvogt in Locarno. Leu, Suppl. IV, 98.

427.

(422).

Gratus accepi literas commendatorias ad Gen. Meissium et ad Saussurium continuo misi.

Hillii tomus XVII. advenit, quo Verticillatae traduntur, icones aliquanto meliores, caeterum nondum legi. Accepi etiam du Hamelii de piscatura Tom. VII., sed nondum ad anatomen piscium pervenit.

Commentt. Acad. Paris. perquam inanes sunt praeter chemica. In supplemento Encyclopaediae versor.

Accepi gratum donum Agrostographiae et plurimum Tibi debeo.

Si carere potes aliquot diebus libello de pulsatilla, averem legere remissurus incolumem.

Suntne apud Vos mechanici mathematicorum instrumentorum fabri?

Podagra me usque tenet, fere absque dolore, sed minatur ambulationem et in cubiculo me retinet; caeterum mei recte valent.

Gaubius quaedam ad me misit, quae non accepi. Mortuo Albino nunc audebit amicitiam fateri.

Febres malignissimae aliquot funera dederunt, absque symptomatibus fere, sed cerebro adfecto, ita narrant medici.

Magnus est ob morbum Moscoviensem Batavorum terror, et ajunt prohibitum iri exportationem frumenti, unde novum fieret cautelis incrementum. Grando diei 17 nocuit in ditione romanica, etiam frumento. Pretium etiam nobis enorme 175 baz. pro 95 fere libris 17 unc.; nunc respublica civibus vendit 33 bazenis = 165.

Vale, mi Gesnere, et me porro ama. Bern. die 25. Maj. 1771.

Solander Bataviae advenit ex Mari pacifico et propediem Londino exspectatur.

428.

(423).

Gratus remitto, Gesnere suavissime, Störckium, quem a Jacquinio exspecto. Ut meo nomine Cl. Schinzio gratias agas et optime viro gratuleris, rogo. Addidi Nova literaria, quae non cohaerent cum prioribus; spero vero quae media deficiunt his diebus adventura.

Verticillatae sunt quas Hillius nuper dedit, icones aliquanto meliores, aliquae plantae novae.

D. Wanen medicus Scotus Parisiis advenit, medicinae statum non laudat, ne quidem chirurgiae, nova aliqua non magni momenti adtulit. Expedivi me encyclopaedico opere, et ad literas A-E supplementa dedi.

Nunc ad Bibliothecam Chirurgicam redii. Fuslinus satis diligenter prelum exercet.

Aretaeus meae editionis propediem in lucem prodibit.

Heri decretum est: „ut facilius nudi et aperti agri sepibus eluderentur, sextam partem pretii, quae passim exigebatur, diminui, et ultra duodecimam porro non exigi oportere“. Magnum erit potissimum in agro Gallice loquente agriculturae incrementum.

Lavaterus Vester circulares literas etiam ad me misit. Mallem optime animatum virum paulo minus esse ardentem.

Castillonus refutavit le Systeme de la Nature, exemplar misit, quod nondum accepi.

Vale, Ill. Gesnere, et me porro ama. Bern. 6. Jun. 1771.

429.

(424).

Ecce Nova aliqua literaria, Gesnere optime. Si cum Tuo exemplo velles tertium tomum fungorum Schäferi mihi curare, gratum facies.

Vale et me ut soles ama. Bern. 14. Jun. 1771.

430.

(425).

Lente procedunt typographi; primis tamen mensibus prodibit historia Usong ad fines meos adaptata.

Sed Pulsatillam nostram viribus cessam esse auctor erat ipse Störkius.

His diebus Saussurius redux erit, Mediolani visus est, Ticinum etiam adiit, nimius certe cursor.

A Zimmermanno dudum non audivi.

Nescio an bona nova ad Te scripserim: I. Commersonius Mare pacificum, insulam Bourboniam, Madagascariam adivit, ichthyologiam Indicam ad prelum paratam habet et plantas innumerabiles.

Deinde Gen. Brakes cum Solandro ex Mari pacifico redux Bataviam orientalem adpulit. Mare primum Australe ad 80 usque ut scribunt gradum pernavigarunt, inde in Georgia nova, continente aut magna insula Maris pacifici, in media fere inter Peruviam et novam Britanniam distantia posita, sex mensibus via-verunt, plantas colligerunt, nunc imperium Aulae Britannicae Bataviae expectant ob belli Hispanici motum. Adeoque astronomia magno botanicae emolumento erit.

Magna vis Corallorhizae reperta est in abiegnis sylvis supra Gryon.

Vale et me ut soles ama, Gesnere praestantissime. Bernae die 8. Jul. 1871.

431. (426).

An Saussurius operae pretium fecerit, ignoro, metuo ne non fecerit.

Aliqua exspecto a Bonstettio et aliis qui ante 12 dies Alpes adierunt.

Hic ardens caelum est, etiam mihi valde incommodum, quod pedum oedemata vehementer augeat.

Vidistine Gaubii adversaria¹⁾?

Valde placet Vetteti Veterinaria, 3 vel 8(!) Ludguni edita, masculum opus et per experimenta natum.

Ante annum Rhazei Continentem²⁾ ab amico habui mutuo datum, duo magna volumina, quorum posterius libros a 25 porro progredientes continebat. Putabam fuisse a Tissoto. Fueritne a Vobis? Id si fuerit, ab humanitate Tua peterem, ut secundum volumen iterum commodares. In primo, quod superata nausea legi, plurimum bonae frugis chirurgicae reperi. Vides me in Arabibus versari.

Patria mea nummos non paucos possessori domus, in qua legati nostri commorantur, mutuo dederat, ipsa domus erat oppignerata, quae deflagravit.

Castilloni opus³⁾, oppositum systemati naturae, solide mihi et perspicaciter scriptum videtur, etsi Berolini prodiit. Conabor ut ducenti, quibus est dicatum, liberaliter viri merita adgnoscant. Bonnetus idem pestilens opus adgreditur in nova editione suarum Recherches.

Tu vero, praestantissime Gesnere, vale et me ama. Bern. 27. Jul. 1771.

432. (427).

Maximo labore Bonstetterus defunctus est; plantas an invenerit non novi, cum Albinae substiterit.

Saussurius tamen aliqua se reperisse scribit.

Vetteti est Veterinaria, bonum opus, satis voluminosum.

Etiam nobis frumenti pretium minuitur: ad 5. imp. descendit die Martii. Neque tamen messem valde laudant.

De Zimmermanno gaudeo.

1) H. D. Gaubius, Adversaria. Leid. 1771. BB II, 613.

2) Der berühmte arabische Kliniker Rhazes (Ar-Razi), der im 10. Jahrhundert lebte. Sein Hauptwerk Alhawi, Continens, erschien wiederholt in lateinischer Übersetzung.

3) Giovanni Francesco Mauro Melchior Salvemini Castillon (1708—1791), Mathematiker, seit 1763 in Berlin. Poggendorff I, 3995.

Utcunq̄ue ad me ipsum me recipere studui, tamen alia et alia, etiam alienissima officia mihi imponuntur.

Misit ex Hispania luculentam appendicem ad Bibl. Anatomicam Cap de Villa¹⁾; id hodie advenit et multo mihi usui erit in Bibliotheca in qua occupor.

Aretaeus absolutus est.

Lobstenius inspexerit de nervo putatio durae matris²⁾, reperit nihil adesse simile.

Gottinga Nova lit. exspecto et continuo mittam.

Hodiernus fasciculus continet 1400 indicationes librorum Hispanicorum. Utinam aliis ex regionibus similia haberem subsidia.

Advenit etiam Barnadez opus botanicum³⁾, quod si videbitur ad Te mittam. Ex tabulis quae sunt mutuatitiae non multum boni de eo spero. Continet ut videtur terminologiam.

Vale, vir Ill., et me porro ama. Bern. 10. Aug. 1771.

433.

(428).

Bankhesius Mari australi redux post 2 annos alterum eo iter meditatur; agam cum Pringlio, ut Kittio sit locus, si id quidem vult inire. Periculum nullum esse Bankesius saepe repetit, mare tranquillum, homines humanissimos. Novas insulas, nova freta Angli detexerunt. Novam Zeelandiam parem insulae Britannicae, sic novam Guineam, insulas etiam Novam Hollandiam et novam Britanniam. Plantas pene mille et pulchre depictas habent, quae sculpuntur, et siccas. Iter editur intra hoc biennium.

Oedemata pene evanuerunt. Minacia certe erant, genua adtigerant, cum sensu intolerabili quodam diductarum ab expandente cute cellularum et nervulorum. Aloe lota sola usus sum, et aliquo usque pergam.

Aliquas plantas raras Schreberus⁴⁾ misit iconesque novas. Trewii bibliothecam divisam fuisse illibenter audio.

Nova literaria Gottingensia nondum advenerunt. Mittam Tibi Usongium nunc excusum; sequentur Briefe eines alten Vaters⁵⁾, quod opusculum absolvi. Ego vero totus sum in B. chirurgica, quae

1) BA praefatio p. V.

2) J. Fr. Lobstein, De nervis durae matris, Argent. 1772. 4. BA II, 571.

3) Miguel Barnades, Principios de botanica. Madrid 1767. BB II, 588.

4) J. Ch. D. von Schreber (1739, 1810), Professor der Arrzneikunde, Botanik etc. in Erlangen. Gurlt-Hirsch V, 279.

5) Erschienen 1772 unter dem Titel „Briefe über die wichtigsten Wahrheiten der Offenbarung.“

multo erit plenior quam botanica; eam enim metuens mihi a nimio volumine citra modum contraxi.

Bonneti de apibus opusculum¹⁾ propediem prodibit, tum nova editio *Recherches sur la religion*²⁾. Mosertium de animalium partium usibus accepi, suspecti Serpi opusculum, et nescio quid puto Spallanzani.

Vale et me ama, mitte quaeso hanc cartulam Schulthessio nostro. Bernae die 7. Sept. 1771.

434.

(429).

Scripsi quidem de Kittio ad Pringlium, non ideo tamen velim bonum juvenem rem pro confecta habere, nisi habeamus Bankesii mentem. Nescio cur Nova Gottingensia non advenerunt, ante mensem Gottinga missa.

Utinam catalogum haberemus Trewianorum librorum.

Cum oedemata denuo incrementa cepissent, ad aloen redii, ejus usus videtur bene succedere. Incredibilis erat molestia metusque hydropis, cum praeterea tenera mihi tegumenta, sericei crines, ungues sint pene lacerabiles. Caeterum optime valeo.

Advenerunt libri aliqui, eos inter Berkenhouti *Historia nat. Angliae*³⁾ serviliter Linnaeana, solorum nominum. Ellisii etiam non inutilem librum de conservandis et transpotandis seminibus⁴⁾ accepi, Berkeri muscos, nimis audacis in definiendo et mutando hominis.

Plures porro epistolas accepi de itineribus australibus Anglorum. In terra del Fuogo etiam multas plantas legerunt, aestu mediam per aestatem subito pene obruti. Sculptur omnia et edentur.

Dedi sub prelum *Briefe eines alten Mannes an seine Tochter*: utinam aliquid inde publice nascatur utilitatis.

Ob frequentia adulteria nuper ad CC viros relatum est. Obtinuimus nam et ipse ex animi impetu rem oravi, ut leges adversus reos plenum sortirentur effectum: nempe ut corruptores omnium honorum spe excluderentur. Damnabuntur duo juvenes ill. et potentium familiarum, sed intolerabilis erat mos, quo cuique nuper maritalatae suus dabatur Cicisbejus.

1) *Histoire naturelle de la reine des abeilles*. Haag. 1772. BA II, 361.

2) Die erste Auflage der *Recherches philosophiques sur le christianisme* war 1770 erschienen.

3) J. Berkenhout, *Outlines of the natural history of Great Britain and Ireland*. London 1769—70. BB II, 601.

4) Joh. Ellis, *Directions for bringing over seeds and plants from distant countries in a state of vegetation*. London 1770. BB II, 705.

De frumentis non bene speramus, messis modica fuit. Vinum speratur optimum, sed parcius, qui vindemiae modus in universum mihi videtur e re publica esse.

Tissotus graviter aegrotavit.

Vale et me ut soles ama, vir ill. et amplissime. Bernae die 21. Sept. 1771.

435.

(430).

Accepi, humanissime Gesnere, Schaefferi fungos: pretium autem multum superare videtur tres illos ducatos et Hillium, eo aere vellem me soluturum, si placeret indicare, num 20, num 25 florenorum sit.

Oedemata, postquam a medicamentis destiti, redeunt, neque mihi videntur absque periculo esse. Accedit dudum vesicae urinae nescio quae debilitas et urina cruda.

Epistolae sub prelo sunt.

Gravissima pro viro nobili poena est „ad honores esse inhabilem“. Ita decretum est in unicum superstitem Halwylium de illustri familia. Ita proxime decernetur in senatoris filium, qui et ipse de honoratissima stirpe est. Libertas nimia in frequentandis uxoribus tandem nos coegit ut frenum injiceremus licentiae.

Tandem per primum curram publicum exspecto Nova Literaria, iis addam Usongium.

Scripserunt ad me Vestri de J. Scheuchzeri Agrostographia¹). Respondi non esse vendibilem, nisi accesserint nomina moderna, scripsi ad Eq. de Salins(?), ut nova mea gramina, quae societati Taurinensi misi, liceat mihi addere Scheuchzeri operi.

Botanica etiam aliqua de itinere Bankesii et Solandri perscripserunt, sed ea omnia accurate edentur intra duos annos. In terra del Fuogo etiam herbas legerunt, multas Anglicarum similes, in novis insulis meras tropicarias, quas ajunt omnes suo habitu consentire.

Ad Kittii literas respondebo, quando Pringlii de itinere sententiam novero.

Folium nescio quod accepi, in quo Fel. Fontanae inventum laudatur, clavum secalinum veram esse gallam ab insecto natam. Miserunt etiam Manettum de panificio, leve opus²).

Tu vero vale, vir Ill., et me porro ama. Bern. die 9. Oct. 1771.

1) Johannes Scheuchzer, Agrostographia, seu Graminum, Juncorum, Cyperorum, Cyperoidum iisque adfinium historia. Tiguri 1719. Haller gab 1774 eine neue vermehrte und verbesserte Auflage davon heraus.

2) BB II, 702.

436.

(431).

Itaque Te jubente tres iterum ducatos erogabo. Non videntur mihi 20 florenos compensaturi. Ab Oedero nihil accipio. Collegio quaestionum (finanz Rath) est admotus.

Mullerus misit mihi vermium aquatiliū historiam¹⁾; si placet, communicabo.

Nondum advenerunt Gottingensia.

Ecce numerosos libellos, quos ab Eisfeldio desidero, quorum multos vellem quanto cyus. Catalogum remitto.

Seppii insulam dono dedit Sixius, sed nondum accepi.

Bodmero gratias velim agas maximas. Plurimum me ejus iudicio laetari, cui plus tribuam quam cuique fere alteri.

Gouanus me rogavit, se ut bibliopolis commendarem. Verum Tu rectissime nosti me ipsum egere apud hos homines patrono.

Litterae nunc serio de prelo procedunt et intra mensem erunt absolutae. Gallice prodibunt, sic et Usongius²⁾.

Aloe utor adversus oedemata, tamen decrescunt, et potissimum crura mihi in dies leviora redduntur, quae erant gravissima.

D. Valtravers³⁾ restituta valetudine advenit. Villam non vendidit, quam 1200 l. sterl. aestimat. In Angliam abit his diebus.

De annonae etiam in Belgio acuto pretio inauspicatas accepi literas. Cariorem fore proximo vere omnino et exspecto et vereor. De meo frumento ex villa accersendo cogito (die bodenzinse), sed in universa Germania pretia rerum sunt enormia, Gottingae etiam, in Silesia, Würtembergia, Pragae. Jacquinus rusticos vidit gramen coquentes, ut se sustentarent in Moravia. Litteras ejus habeo, et miror de horto tacuisse.

Hodie 64 annum adgredior praeter tibias ad mediam suram oedematosas sanus, rectiusque fere valens quam ante 20 annos, postquam diathesis febrilis per longum usum vegetabilis diaetae deferbuit.

Vale et porro me ut soles ama. Bern. 16. Oct. 1771.

437.

(432).

Ecce denique lentissima illa litteraria nova, tum Usongium et Gallicum qua lingua scriptum est consilium ad dysenteriam, in quo emendando multum posui laboris. Volebam addere Mullerum,

1) Otto Friedrich Müller, Von den Würmern des süßen und salzichten Wassers. Kopenh. 1771. BA II, 681.

2) Die „Briefe“ erschienen französisch in Lausanne 1772, „Usong“ in Yverdon im gleichen Jahre.

3) Rudolf Valtravers, Bürger von Biel, lebte in England. Leu, Suppl. VI, 149.

sed plenum reperi bonarum adnotationum, ut in legendo minus progressus sim. Multa reparatarum partium phaenomena ibi reperias. Addam Jacquinum, quem exspecto.

Gouanum mittunt, ut videam. Non dubium est literis utilem fore librum, sed an bibliopolis?

Maximum vitium villae Valtraversii est quod in Biennensi sit territorio sita, irrequietae genti neque aut valde aequae subjecta aut civili.

Nostri aliquem frumenti proventum emerunt: ego mihi a verna annonae caritate mala metuo, cum nusquam nisi Massilia aliqua supplementa sperari possint. Nostri pauperiores dediscunt panem edere, plurimum etiam Solano utuntur tuberoso. Vini simul summa est penuria.

Pergo in sumenda aloe, et videor mihi aliquantum proficere, caeterum bene valeo.

Scribunt nostros Commentarios prodiisse (T. 1.) et porro prodituros¹⁾. Exspecto etiam Turino impressa supplementi Agrostographiae exempla mittamque. Monspeliensium cemmentarios accepi, nondum legi.

Solandri et Bakesii de itinere australi relatio non potest subito prodire, cum tabulas sit habitura.

Regium congiarium a Buteo accepi, qui omnes principes magnificentia sua superavit.

Orlovius comes multa narravit de magnis Pallasii meritis et ex Persia spoliis. Non ita laudat Gmelinum. Pallas in Chinam cogitat.

Magnam partem addit Americae N. W. detectam esse.

Ita vale et me ut soles ama. Bern. die 25. Oct. 1771.

438.

(433).

Ecce tandem, Gesnere clarissime, Nova literaria. Adjeci Commentariorum nostrorum Tomum novum et Mullerum, quem ultimum remittes, quando eo usus fueris. Filio mandavi ut sumtus pro disputationibus rependat, quae sunt gratissimae; Linnaeana methodus test. non est apud me.

Etiam nos difficilem annonam metuimus.

Videntur Vestri nostrum edictum non recte intellexisse. Fabricata omnia me urgente libere transeunt. Crudae utique materiae egent primitivo testimonio. Pro bombyce id testimonium Massiliae aut in aliquo portu maris mediterranei scriptum esse debet.

1) Die Novi Commentarii Societatis Regiae Scientiarum Gottingensis, deren erster Band auf 1769 erschien. Pütter II, 287.

Non videtur Kittii iter processurum, renitente ut puto Solandro, quem alias perinde ut Linnaeum invidum sum expertus.

A Rotbollio libellum, sed Danicum accepi¹⁾, in quo plantas contextas rectius constituit. Misit etiam plantas siccas ex insula S. Croix. Edit icones et mihi specimen misit.

Hortatus sum Kittium, ut muscos colat, qui nobis plurimi proveniunt. De peste atrocissimum nuntium miserant Genevenses; obtinui ut nihil moraretur, quoad responsorias haberem Lubeca. Lipsiensibus novis, ut nimis mercatoriis, nostri non multum tribuunt.

Urgeo bibliopolas ut hoc iter obtineam. De literis alias, quibus mire me devincis, sed vellem I. Scheuchzeri etiam vitam aliquam praefigere. Humanissime facis, quod hos conatus adjuvas.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 22. Nov. 1771.

439. [Eingang verloren?]

(434).

Sed et nos Lubeca de peste Moscoviensi nuntios habuimus valde accuratos. Non videtur dubium pestem fuisse bubonaceam quae Moscoviae saeviit, et intra unicum diem ad 1000 et ultra homines abripuit. Mali vis utique diminuta et forte exstincta est. Belgae, nam habemus eorum edicta, et Angli quadraginta dierum moram navibus imperarunt, materies vero primas, quas et nos ad sex menses, excluserunt integre. Contra eas solas nos cavemus; fabricati panni ut admitterentur dudum obtinui. Libros aliquos accepi, inter eos est Martyni valde jejunos hortus Cantabrigiensis²⁾, est etiam II. tomus historiae naturalis Belgarum, et Seppii papiliones hi antiqui Sixii dono.

Intercidit omnis spes proficiendi per iter Bankesii. Praecipitat abitum, nulla tabula sculpta. Itaque si eum aliquis casus abriperit, amissi erunt tanti et tam felices labores.

Nescio an Tibi meas epistolas miserim nunc excusas; ni misero, mittam. Hic Bernae satis bene exceptae fuerunt.

Commentarios Gottingenses leve donum servabis.

Audio tamen proximo vere fasciculum Florae Danicae proditutum, nescio cujus cura, nam Oederus ad diversissimos labores transiit.

Meckelius nova sua experimenta misit.

Mea oedemata insigniter diminuuntur: sinister pes pene liber est, dexter circa malleolos tumet hactenus, tibias vero tumor deseruit.

Tu vero vale et me ut soles ama. Bern. 11. Dec. 1771.

1) Christen Friis Rottböll, Botanikens udstråkte nytte. Kopenh. 1771. BB II, 711.

2) Thomas Martyn, Catalogus horti botanici Canetabrigiensis. 1771. BB II, 707.

440.

(435).

Nescio qua mea negligentia factum sit, ut neglexerim epistolas meas Tibi mittere, quas viro pio et mei amanti scirem gratas futuras. Sed eas nunc mitto; proxime Gallice prodibunt vertente D. Thomasset. A Pringlio scio nihil eorum locum habiturum quae Ebelius nobis narravit, nequidem popularis de itinere relatio, quam Hawksworthio¹⁾ scribendam dederat Bankesius. Spes omnis erit in felici ejus reditu a novo itinere, quod duabus navibus regiis instructus M. Aprili adibit.

Ubi eris usus, vellem Boddaerti accessiones²⁾ inspicere.

Videtur imminens hydrops dispulsus esse, pedesque calorem naturalem receperunt, sed pernionibus congruis hallucis calori nescio quo demum femoris abscessu, cujus causa mihi obscura est, undique vexor.

Mariana Jenner, filia nepotis, nubet Jennero salinae quaestori (Buchhalter), sed etiam Charlotta ut videtur propediem nubet meque satis solum relinquit.

Ecce literas Fuslini etc., qui renuntiant se Bibliothecam non continuaturos. Nihili aestimant quod ex fide contractus solemnibus ego aliquot annos in B. Anatomica et Chirurgica impendi, tantumque paratum habeam editurus, ut 3000 florenor. aequaret pretium ex nostra parte. Dudum video hos homines sibi in meo opere non placere. Utinam acceptassent, quando M. Apr. 1770 obtuli antiquare contractum; eo tempore noluerant. Nescio an sit in jus veniendum. Tu interim, carissime amice, repete quaeso primas schedas Bibl. Anatomicae, quas petierant et ego miseram, ne iis funestius quid accidat. Nolo Te his taediis obvolvere, satis gnarus si quid Tua merita in eos negotiatores potuerint, sponte Te facturum omnia.

Cum his librariorum litibus intercidit, ut videtur, I. Scheuchzeri editio, neque enim porro cum injustis hominibus potero commune habere. Mea supplementa ad Agrostographiam nondum Turino accepi, neque tomum IV., etsi prodiit.

Accepi Acta literaria Edinburgensia nova, eorum tomos 2 priores, quibus non egeo, eos Tibi lubenter offero, tertium curaturus, qui nuper prodiit. Non idem est diarium cum vulgo noto et longe plura habet physici argumenti.

1) John Hawkesworth (1715—1773) publizierte 1773 „An Account of the Voyages undertaken by order of his present Majesty for making Discoveries in the Southern Hemisphere etc. Dict. Nat. Biogr. XXV, 204.

2) Boddaerts Nachträge zum Elenchus Zoophytorum von Pallas. BB II, 566, 707.

Vinkius in penalb. parum de inoculatione morbi bovilli sperat, contra Camperum, cujus etiam de ruminacione systema refutat. Linnaeani systematis, quod Belgice edit Houttuynius¹⁾, tomum XIV, mollusca, accepi, nunc tandem sequentur botanica, sed levioris armaturae miles est. Magnam de Pallasio spem excitavit comes Orlof, qui in Persiam aliquanties excurrerit. Die 24. Dec. 1771.

441.

(436).

Ecce, praestantissime Gesnere, cum plurima gratiarum actione Boddaertum, vellem mecum Gmelini Florae T. IV communicares, quem nondum accepi, offero vicissim Scopoli floram Carniolicam, quam dedicavit et misit, illaesam illam remittam.

Sermo Tuus non fuit absque fructu. Receperunt, se certe Bibliothecam anatomicam excusuros. Respondi, totum opus melius conexum proditurum eosque ad totum opus edendum teneri; ut aliquantum et ipse sublevem sumtus, condonavi detrimentum, quod mihi ex graciliori typo accidit, et 2 florenos ad singulum folium sponte de pretio remisi, dum absque mora et querelis in opere edendo pergant, sed neque ego amo jure certare. Quingenta exempla paratis nummis quod vendiderint, mihi non videtur querelae locum dare, sed oportuisset 2000 excudere.

Nuptiae filiae meae instant, qua certe illibenter careo, cum tot liberis pene orbus et senex. Coaluit interim illa quae me domi tenuit femoris excoriatio, ut prodire extra fores possim.

Quod Ven. Antistiti Huldrico²⁾ meae epistolae non displiceant, est pergratum. Teque rogatum velim testari viro summo, valde exoptatum mihi eius esse suffragium. Addo subridens Tibi, praeter Prof. Stapferum hic nostros theologos non vidisse meum institutum valde probasse; publice tamen etiam a feminis et juvenibus multo cum favore receptae sunt. Exspecto quotidie Gallicam editionem. Adventant aliquot magni operis Hilliani volumina, quae mihi misit.

Vale, vir amplissime, et me ut soles ama. Bern. 17. Jan. 1772.

442.

(437).

Papillae excoriatio, cum nescio cujus lacteae materiae defluxu et satis incommodo dolore denique et ipsa sanata est cerato po-

1) Natuurlycke historie of uytvoerige beschrywing der dieren, planten en mineralien volgens het zamenstel van Linnaeus. Amsterdam 1761 ff. BA II, 579.

2) Joh. Rud. Ulrich, Antistes der Kirche Zürichs (1728—1795). S. Neujahrsbl. der Gesell. auf der Chorherrn auf 1807.

tissimum Goulardi (saturnino); itaque denique undique valeo et proxime conventus adibo publicos.

Salis certam in singulos annos copiam a Bavariis porro recipimus, quod foedus me curante nunc perfectum est.

Etiam hic frugum pretium subsidet. Et si nuntius de pace confirmatur, procul dubio post messim vis frumenti ex Polonia adveniet.

Vestros homines spero aliquanto fore aequiores. Metuo tamen mihi ab eorum gustu, cum Germanica poetica 'raisonnemens' ament nostrisque severioribus studiis praeferant. Interim urgebo porro ut de editione I. Scheuchzeri cogitetur; id opus post absolutam B. Chirurgicam adgrediar mense Julio. Accepi iter, quod fuit gratissimum.

Filia natu minima proxime nubet mercatori, sed honorato et diviti. Vereor ne error subsit in his Actis Edinburgensibus. Duo sunt diaria ejus generis, primi sex sunt volumina. Hoc distinguuntur titulo acad. literaria, cujus nuper tertium volumen prodiit cum caractere et icone Plantae Indicae Peak; si hoc posterius diarium possides, nihil adtinet, ut emas novam editionem, posses remittere 2 volumina, inutilia futura. Volebam mittere Tibi exemplum Florae Carniolicae, dubitavi cum nihil responderis.

Error est in Mekelio. Neglexi addere „exemplum ab auctore mitti ad optimum nostrum Schobingerum“, quod Tuae curae commiseram, nam vix sperem Berna me S. Gallum aliquam reperturum occasionem.

Deficientia folia Nov. liter. curabo.

Doleo quod molestus fuerim Cl. Lochero. Remittam proxime Gmelini Tomum IV., quo non ausus sum uti, cum non sit ligatus. Icones non satisfaciunt pulchritudini pictarum imaginum, quas vidi.

Nescio quid a me petat Haidius: de eadem re Munius (translator) scripsit. Petierat iste ut indicium libri alicui diario Helvetico insereretur, sed ego nullum novi. Si Haidius optaverit in Gottingensi sibi locum dari, dicendum erit ipsi, ut in brevitatem et correctum stilum redigat. Vellem VIII. tomum mittant Trewii, non doni loco, item IX. et X. Musicus etiam nobiscum fuit.

Propediem advenient tres Hilliani operis tomi.

Tu vero vale, vir Ill., et me ama. Bern. 1. Febr. 1772.

443.

(438).

Exspecto N. Lit.; cum iis mittam Scopolum, Gesnere amplissime; Acta Edinburgensia, Tibi inutilia, remitte ut libet.

De Abbatiscellanorum funesto morbo audio.

Si mavis Edinburgensia Acta pro Societate Vestra, libenter offero.

Pretium filius fecit.

Scopolium mittam, novum fere opus est.

Hillii tres tomi advenerunt XIV., XVII., XVIII., omnes nisi ob molem displicent Tuis usibus inservire parati. Dorvarenus misit mihi duas suas orationes.

Minaci morbo a die II. confictor. Ab aliquot mensibus sub noctem, cum primum in sinistrum latus decumberem, pulsum intermittentem percepi, caeterum sanissimus. Is pulsus ab eo die, cum animum meum aliqua praeter morem concussissent, valde auctus est. Die 14. venam secui non bono successu. Dies 15, 16 tolerabiles fuerunt, pulsusque non interruptus, sed die 16 sub noctem gravis paroxysmus ingruit cum frigido sudore et pulsu debilissimo fere altera vice intermittente. Die 17. iterum pulsus rediit, et ego ad mea studia. Sumsi corticem peruvianum cum malum nescio quid habere videretur periodici, ut fere hora 7 p. m. paroxysmus ingrue- ret, hora 7 a. m. desaeviret. Itaque ad corticem confugi ejusque die 17. drachmos sumsi quinque, bono effectu, ut perexiguus pa- roxysmus unius fere horae successerit.

D. Bidermannus, qui hodie Tigurum proficiscitur, adfert Sco- polium.

Morbus meus videtur a flatibus pendere; iis libere exeuntibus levatur, retentis augetur, videntur in coli flexu lienari colligi. Ita- que operam do confirmandae ciborum coctioni. Vale, excellen- tissime Gesnere. 19. Febr. 1772.

444.

(439).

Post meas nuperas morbum passus sum severiorem. Nam cum cortex pulsum intermittentem suspenderat, cum tamen alvum sic- caverat, non potui diutius ejus usum ferre. Noctes tres satis malas transegi, 1. 2. 3. pulsibus ante intermissionem. Una flatuum caterva et digestio vix ulla. Cepi uti fuco cum nonnulla aloe. Heri adhuc debilitas (non lipothymia) me irrepserat, aer frigidus me recreavit. Diarrhoea videtur me levasse. Nunc certe primum ab horis fere 18 pulsum habeo naturalem, nisi quod cor debilitatum videtur, nonni- hil non plene palpitare. Appetitus etiam et somnus rediit. Major pars mali videtur esse in primis viis, aliqua in nimis acri sensu nervorum cordis, quem exiguae causae turbant.

Scopolium si placet serva, est mihi et aliud exemplum.

Sprengerus exemplum Elementorum ad me misit.

Catalogum gratus legero.

Tissotio promisi acta Edinburgensia.

Varia Parisiis accepi a Morando et Thierryo, artesque.

Fuslinus iterum editionem Bibliothecae abruptit.

Cum primo curru publico curabo Tibi Gmelini Floram, addam Nova literaria Gott. Defectus nondum advenit.

Genevenses laete nuntiant omnia sua desideria se a Gallis esse consecutos. Opidum Versoi, ut videtur, deseretur, magnaue nos liberabit molestia ¹⁾. Sed ego minus minusque haec curo, cum ea cura mihi una supersit, ad mortem non infelicem me componere. Facile enim video, has frequentissimas omnis generis adfectiones causam aliquam profundam in deficiente natura habere.

Tu vero vale, vir carissime, et me porro ama. Bern. 29. Febr. 1772.

445.

(440).

Gravis ille ab intermittente pulsu natus metus subsedit, Genere celeberrime. Octavum nunc diem ago, neque intermisit, nescio quid tamen in cordis motu nimis vehemens superest. Flatus molesti esse pergunt, quos fuco impugno cum tantillo aloes subacto.

Otium nescio num ferre possim, adeo me omnis alterius delectamenti cepit fastidium. Caeterum absque conatu et uti commodum est in meis pergo laboribus.

Heri remisi Gmelini Floram et addidi Nova Gottingensia.

Fuslinum monui, ne amittat opportunitatem nundinarum. Index enim bene longus superest edendus.

Opera minora Germanica ²⁾ etiam urgeo, ut prodeant ad eadem nundinas. Varii generis et argumenti.

Heri bene habui, sic hodie. Nondum intelligo, quomodo potuerit adeo terrifica pulsus degeneratio a nonnullis oriri flatibus. Et tamen cor ad officium rediit, postquam molesta diarrhoea flatuum viam expedivit. Suspikor podagrici quid et flatibus subesse et cordis tumultui.

Artes aliquas Parisiis miserunt, inter eas de pipis tabacariis, quae est du Hamelii.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 7. Mart. 1772.

446.

(441).

Quamprimum ergo Pennanti opus ³⁾ accepero, curabo ut, quantum id fieri poterit, non tarde recenseatur; non tamen mea in potestate est tempora definire. Parvam editionem legi. Facile vero vides nihil me de meritis eius dicere posse, nisi legerim. Notulas

1) Nachdem Choiseul am 24. Dec. 1770 in Ungnade gefallen war, wurde das Unternehmen vom französischen Hof allmählich fallen gelassen. Blösch S. 124 ff.

2) Kleine deutsche Schriften. 3 Bde. Bern 1772.

3) Thomas Pennant (1726—1798): Tour in Scotland. 1771.

quales misit non solemus nostris Novis censere, quae volumus ita esse scripta, ut legi possint, librique locum teneant, sed neque est necesse. Nummos pro decade VIII. per Schulthesium numerabo.

Hactenus valeo, ut tamen pulsus quasi ebullitiones aliquas sub noctem percipiam flatuumque vim immensam. Pergo in pilulis chalybeatis.

Ex Belgio duos tomos Actorum botanicorum accepi, Houttuynii de testaceis principium et continuationem operis Beckheyani, in quo misera illa Belgarum mineralogia continetur.

In nuperis tomis Hillius nulla vera genera habet, et Linnaeana pessima nomina, plantas tamen aliquas novas habet depictas.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. die 14. Mart. 1772.

447.

(442).

Filio dixi ut Haidiani (Ehret) operis sumtus rependat; de utroque opere curabo ut recenseantur, quae recte Tua ex humanitate accepi. Die 18. accessum passus pulsus intermittens deinde, 19. 22. 24. 25. 26. 27. redierunt insultus vespertinis horis ab hora fere 7. ad 9. aut 10. Longiora tamen sunt intervalla, fere ad 100 pulsum non interruptorum, neque frigesco. Nox 25—26 gravis fuit, nunc bonae diesque commodi, vexat me vero alvus praedurus. Nondum foras prodii, sed prodibo. Nihil mihi de mali causa liquet. Paroxysmi hactenus mihi videntur oriri 1. ab animi commotione tristi, 2. a debilitate vespertina, 3. a frigore pedum, 4. a digestionis vitiis, quibus me summa cautela tutum reddo.

Kittius hodie ad me scribit, consilium suum aperit, vult me intercedente Birgenstenio hospite liberari.

Upsaliam hodie scribo de peste quaesiturus, quae in Sueciam dicitur irrepsisse.

Heri maxima contentione Engelii nostri filius unicus electus est thesauri publici diribitor (caffirer), magna ut omnes aestimant felicitate.

Heri magnificum donum nummorum aureorum et argenteorum accepi, quibus principum Bavariorum imagines exprimuntur, electoris munus.

Vale, praestantissime amice, et me ama. Bern. 28. Mart. 1772.

Jacquinius scripsit se nuper fasciculos misisse, decades septem pro totidem ducatis. Literas cambiatorias hic petam, ut ii ducati ei repraesententur, quid solvi oporteat indicabo.

448.

(443).

Die Veneris per Fuslinum mitto Tibi, Gesnere optime, catalogum Tuum Scheuchzerianorum, certe pluchrorum librorum, eorum notavi aliquos, quos cuperem videre, et illaesos remittam.

A die 1. hujus mensis valetudo melior est et vix aliquas reliquias pulsus intermittentis percepi, ebullitiones tamen et graves cordis ictus. Corticis infuso utor, satis ut mihi videtur feliciter.

Kittius rem suscipit hactenus gravem, quod nummos vult exigere qualia negotia in remotis terris nonnunquam ad periculi plenas inimicitias ducunt. Vix vero volet dissuaderi.

In Finnia morbum ajunt esse pestilentem.

In itineribus Pallasii et Gmelini multa sunt botanica nova, etiam genera ut Rinolera. Pallas passim Gmelinum socium mordit. Adit potissimum regiones trans Wolgam, Gmelinus junior Uraniam. Plura spero a tomis qui nunc prodibunt. Pallasius enim Persiae aliquas provincias adit, ut habeo ab Orlovio. In Transactionum T. LX. Gardenia novum genus dicitur, et Anii stillati totus character.

Schröderus Gottingensis Professor¹⁾ obiit, et facultas medica nunc fere desolata est.

Nummos illos pro Trewii Decade 3. 36 spero Te accepisse.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 9. Apr. 1772.

449.

(444).

Accepisti nunc, Gesnere suavissime, septem nuperas decades Jacquini, humanissimi viri, sed tamen sua cariori vendentis pretio. Septem ergo ducati species erunt solvendi et praeterea enormi 14 francor. pretio constitit fasciculi iter, cujus doleo portionem Tuam esse trium francorum [meam] ob additas 40 icones Austriacorum.

Valetudo nunc bona est, redditum intestinis robur, ut se facibus inaniant, appetitus etiam et somnus commode se habent.

Gratum erit libros videre, quos benevole communicabis, spero me proxime accepturum quae in Tuis novellis deficient.

Kittius si prius volet Luganum secedere mense Majo, sumtus erogabo itineris, quod ut aperias rogo.

In Pallasii itinere majorem mihi videor industriam detegere, synonyma vero stirpium in itinere, absque bibliotheca, ex memoriae fide adjecta, non satis fida sunt. In orientales plagas nunc progressi plura dabunt nova. Florae Sibiricae T. IV. etiam accepi.

Mullerus scribit Linnaeum novam editurum Mantissam, a Koenigio enim Frankenbarensium plantarum accepisse fasciculum.

Notulam ut Fuslino cures rogo.

Nihil habeo quod mereatur Tibi scribi. Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 22. April. 1772.

1) Philipp Georg Schröder, geb. 1729. Er war 1764 prof. med. ord. in Göttingen geworden und starb am 14. März 1772. Pütter I, 159 f. II, 46.

450.

(445).

Accepi, Gesnere praestantissime, libros, quos perhumaniter, mecum communicasti. Si eorum aliquis erit, quo perennius egeam, utar bonitate Tua et emam. Nunc cepi legere, temere ut se sub manum meam dant, et pergam continuo donec absolverim.

Accepi ex Anglia Pennanti iter Scoticum, elegantem libellum, Culleni¹⁾ materiam medicam, quem virum Scoti pene adorant.

Accepi etiam varios pannos ex insula Otahaiti, fere ex mero factos papyrifero, cum resina elastica Kautschuk et minera plumbi inprimentis. Haec Tibi curabo, si ea velis Tuae ditissimae addere collectioni.

Calculum horum ducatorum nescio inire. Mercator aliquis Vestras melius docebit. Mittam schedulam pro Te et me, forte et pro Saussurio.

Kittius si volet utetur meis conditionibus.

Folia desiderata nondum a Fuslino accepi.

Valetudo videtur integre restituta, sensus subinde redit, qui solebat intermissionem protendere, neque tamen ea perfecta sequitur, etsi subinde vestigia supersunt. Caeterum digero, dormio, in gressu tamen debilior.

Curabo etiam ut Linnaei Mantissam accipiam.

Engelius noster parat de navigatione per N. O. libellum. Angli tamen contrariam viam praeferunt.

Societas agriculturae Veronensis nonnulla scripta eo facientia Vestrae misit.

Saussurium audio non aegrotare quidem, sed macrescere et languere.

Res publica argenteae suppellectilis uncias 75 mihi dono dedit ob foedus salarium cum Bavariis initum, quod certe multo est utilius eo, cujus a. 1751 sancti anni exspiraverant.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 2. Maj. 1772.

Jacquinius petit ducatos specie, ut adeo ita sint calculi ineundi, ut Vindobonae ei ducati numerentur aurei, non valor.

451.

(446).

Cl. Scultetus adferet Tibi papyracea illa vestimenta, resinam Kautschuk et molybdaenam, denique folia Gottingensia.

De ducatis rogavi, a reduce si schedulam cambiatoriam petes, dabit; mittam cum mea et Saussurii ut sumtum fiat compendium.

1) William Cullen (1712—1790), Professor in Glasgow, dann in Edinburg. Besonders bekannt durch seine neuropathologischen Theorien. Gurlt-Hirsch II, 112 f.

Schinzius penitus similia nostrorum obtinuit, ut nunc Monachio rescivi. Ad Bernardum scribam, nam novum opus urgere mihi rectum est.

Paroxysmum tamen etsi non gravissimum intermittentis pulsus passus sum hac hebdomade, intermittebat post quartum quemque, per sesquihoram, noctu ut solebat. Infusum corticis pergo bibere, caeterum satis bene valeo.

Plusculos jam libros legi Vestrorum, urgebo ut omnes possim remittere, nisi aliquos datum fuerit emere.

Opuscula mea minora absoluta sunt, necdum tamen exempla accepi. Celsum¹⁾ nunc maxime edunt.

Adjeci semen Levanthi a Jacquino missum.

Exspecto Westoni systema botanicum²⁾.

Tu vero vale, praestantissime Gesnere, et me ama. Bern. die 16. Maj. 1772.

452.

(447).

Litterae Tuae cambiales, Gesnere carissime, vias Vindobonam ibunt ad Jacquinum cum meis et Saussurianis.

Ab eo tempore aliquoties insultus passus sum intermittentis pulsus, gravem satis die 31. Heri levius habui.

Westonum mittam, quamprimum accepero.

Quem principe loco desiderarem Cannanum, eum video cum aliis ligatum esse, nollem volumen Te inconsulto dissolvere, exitium caeterum donum erit et magni pretii, etsi parvus libellus est.

Die 25. me iterum sorte exclusum³⁾ fuisse nosti; nihil id animum meum commovit.

Non perinde injustae litterae a Vestris typographis, sumtus feci non modicos in describendis schedis, eos renuunt rependere nisi sub anni finem, quando pleno biennio ii erunt a me erogati, quos primos expendi.

In nummis etiam injusti sunt: Aurei nempe minoris hic veneunt quam apud Vos, ego certe eos erogavi ad nostrorum valorem, illi volunt ex Vestro restituere, unde diversitas 9 vel 10 flor. nascitur. Porro iterum interruperunt editionem et de maxime necessariis iisque exiguis correctionibus querantur.

1) Römischer Encyclopaedist im 1. Jahrhundert n. Chr., von dem ein treffliches lateinisches Buch über die Medizin erhalten ist. Die Hallersche Ausgabe in 2 Bd. erschien 1773.

2) Richard Westor (1733—1806), Verfasser landwirtschaftlicher Werke: *Botanicus universalis et Hortulanus*. 1770 ff. 4 Bde. *Dict. Nat. Biogr.* LX, 369.

3) Haller hoffte immer Mitglied des kleinen Rates werden zu können.

Magnum esset beneficium, si hos homines Tua auctoritate red-
deres aequiores. Ejusmodi litigationes quotidie renascentes animum
meum irritant et mire valetudini nocent. Nam ab istis literis
gravis paroxysmus 9 horarum supervenit. Id est miserrimum, quod
ad multos annos cum his hominibus sim implicitus.

Vale et me ut soles ama. Bern. 3. Jun. 1772.

453.

(448).

Cum schedulam cambialem Jacquino mitterem, vidi Cl. Schul-
thesium meum nomen inscripsisse. Non ego unquam ejusmodi
schedulam ab eo desideraveram. Tuos ducatos putabam ea conti-
neri. Nunc ne aliqua oriatur confusio, rogo ut primo cum cursore
doceas, mea sit num Tua.

Tristem iterum noctem passus sum: intermittens pulsus pa-
roxysmum nocturnum 8 vel 9 horarum vehementem cum insomnio,
calore interno etc. Dies Jovis liber fuerat. Comitantur oscita-
tiones, crepitat undique cor, in apice medio et basi, ictusque vio-
lentus respondet in carotide. Undique ab omni de causa mali con-
jectura depulsus, anceps haereo consilii. Nova ejusmodi vita aegre
possit tolerari, etsi dies nunc a duobus mensibus fere toti liberi
sunt.

Vale et me ut soles ama. Bern. 6. Jun. 1772.

454.

(449).

Si unquam, nunc certe auxilio Tuo opus esset, ut malam vo-
luntatem typographorum Vestrorum continere liceat. Manifestum
mihi videtur, non adeo de nummulis nonnullis eos litem renovasse,
quam ob confirmatam suam voluntatem mecum abrumpendi. In
ultimis enim literis iniquissime et durissimis verbis urgent ut nihil
quidquam mutetur in codice meo, dum de typis prodit, alioquin
se putare omni nexu se esse solutos. Id equidem norunt esse im-
possibile; quis enim mortalium ita notarii (copistae) errores omnes
emaculet, quin aliqui haereant, qui inter edendum deteguntur;
auctor enim quae ipse elaboravit saepe recte legit, etsi vitiose
scripta sunt. Nullius momenti praeterea sunt quae in Bibliotheca
anatomica muto, ne linea quidem in folio. Nunc quidem, si a. 1770
oblatam a me conditionem acceptassent et abrupissent opus cum
Bibliotheca botanica, nihil quererem, sed repudiarunt eo tempore
quae nunc quaerunt, et difficulter nunc alium bibliopolam invenirem.
Vides quo haec ducunt. Bismille quingentis paginis absolvi B.
anatomicam et chirurgicam (hanc ad a. 1745); hic omnis triennis
labor, quem pene 4000 flor. Vestri solvere debent et redimere,
periret, et incredibile quantum sumtum a me impensum etc.

Annon posset Magnus D. Heideggerus Consul hic intercedere! Hoc interim, certum est lege cum his hominibus experiri, si pergunt injusti esse. Nimis enim magna esset jactura tanti laboris, etiam si nummos non curarem.

Pulsus ab 8 retro diebus quievit, metuo vero mihi, quoties alvus siccior est, neque tamen toties lubet purgantia sumere, quoties ea pigra est. Caeterum recte valeo.

De anatomicis gratias ago, reliqua per curram aut alia opportunitate remittam. Schedulam ad Jacquinum misi; monui Te hoc aere solvi. A bibliopola Hillii pretium quaeram et deducam de iis quae Tibi debeo. Exspecto T. X. Florae Danicae.

Nihil valde vereor colorem ingratum, quem nunc quinquies fortuna mihi obtulit. Hinc familia longeque magis patriae amor me impellit, inde quietis studium retinet. Quare facile haec fero et ne unico pulsu totam rem redemi.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. die 11. Jun. 1772.

Rotböllius mirae pulchritudinis fungos misit, quos Holmia edit. Video nomina quaedam mutari.

455.

(450).

Ecce, Gesnere praestantissime, Gen. Thormannum¹⁾ dulcissimorum juvenem morum, nostrae societati socium, cui nihil deest nisi firmior valetudo. Deinde Gen. de Watwille de Malisert²⁾, nostrae societati a rationibus Sefelmeister, sobrius et modestus juvenis. Hi suorum funeribus afflicti iter moluntur, quo funestas ideas amittant. Tigurum adeunt et Scaphusiam, Tibique se volunt commendatos. Id officium lubentissime suscipio Tibique eos trado tanquam meos.

Hac hora accipio libros Haenii, quos ad me curavit. Swietenius philosophice de vita exiit³⁾.

Satis bene valeo Teque jubeo valere, amicorum optime. Bern. 3. Jul. 1772.

In frumentis laboro et cerealibus. Si Vestrorum velles specimina mihi curare omnium generis, gratum faceres.

456.

(451).

Ita neque ipse puto necesse esse cum typographis porro contendere, sed l. Asperrimam epistolam scripserunt, ubi se omni obli-

1) Vielleicht Alexander Viktor Thormann (geb. 1741), der 1775 in den großen Rat kam. Leu.

2) Johann David de Malisert, 1770 Secretarius ad acta bei der oeconomischen Gesellschaft in Bern. Leu, Suppl. VI, 316.

3) Van Swieten starb am 18. Juni 1772.

gatione ad continuandam editionem solutos esse contendunt, quod nescio quare summe necessaria non addiderim in correctione, sed emendaverim. 2. Iniquos calculos inierunt, nummos dudum a me pro ipsis erogatos in remoto tempore reddendos distulerunt. 3. Impressionem per mensem et ultra interruperunt.

Facile video invites eos in hoc opere progredi, quae miserrima est conditio, cum difficillimum sit me ab istis vinculis solvere, aliumque typographum invenire: taediosissimum, invitis cum hominibus in longo opere progredi.

Exhortationes Vestras et Ampl. Heideggeri generales et unicas aliquantum spero profecturas.

Haenius sua nupera misit. Malo loco si vere, ut scripsit Jacquinus, Störckius rei medicae praeses constituitur.

Satis recte nunc valeo et video calidam tempestatem mihi favere. Sub vesperam tamen solet pulsus intermittere, etiam trigeries et ultra in hora; eae tamen intermissiones non perinde in paroxysmum confluent. Aliquanto mihi etiam levior videor et agilior.

Miscellaneorum Taurinensium Tomus IV. lentissime prodit. Mea tamen agrostographica excusa sunt.

Nescio quis scripsit Brakesii locum Forsterum repleturum. Verum nova Anglica quae lego de hac expeditione silent, quam tamen rex desiderabat. Hunterus opus suum de dentibus¹⁾ misit.

De frumentis scripsi, in quibus aliquantum profeci. Eorum aliqua verae sunt species, alia leves varietates.

Vale et me ut soles ama. Bern. die 8. Jul. 1772.

Haec epistola, insolito more hic mansit ad hunc diem, nunc mitto, excusa meam negligentiam.

Jacquinus rogat num desideres icones ejus Florae Austriacae similes earum quas horti nomine dedit. Promittit plures icones sculptos Dioscuridis Caesarei.

Totus sum in cerealibus. Spero tamen aliquam ex hoc labore lucem affulsuram.

Valetudo bene se habet, alvus ad officium rediit.

Die Jovis vehementissima procella fuit sub undecimam noctis horam, neque tamen grandio cecidit. Caeterum messis votis et spei non respondet, avena pene nulla, speltae plurimae, spicae inanes.

Iterum vale et me ama. Libros Thormannus meus reddiderat. 18. Jul. 1772.

1) John Hunter, The natural history of human teeth explaining their structure, use, formation, growth and diseases. London 1771. BA II, 619.

457.

(452).

Cras, Ill. Gesnere, mitto Nova literaria, quae Gottinga accepi. Valetudo mea bona est. In hieme et frigore aliquid est mihi vehementer adversum, nulla ab a. 1766 hiems absque morbo transiit, equidem caveo.

Multi libri ex Anglia adventant, inter eos Westonus et Hillii tomus novus et Forsteri plantae Americanae¹⁾. Ex Suecia etiam fasciculus adventat.

Frumenta hodie exspecto, et hoc anno nihil nisi conpilabo.

Ludwigius videtur melius se habere.

Beguillati de arte medendi splendidi operis primus tomus prodiit.

Nunc tamen nova Anglica nuntiant, Forsterum, qui varia partem convertit, partem edidit, cum filio artis delineandi gnaro cumque navigatore Cooke (qui navem Endeavorer duxit) ad novum in terras australes iter vela dedisse. Id nunc mihi publice fore utilius videtur. Nam et prioris itineris spolia accipimus et novi.

Linnaeus per M. amicitiam meam quaerit. Neminem odi, omnibus bene cupio, sed penes eum est invidiae et injustitiae plurima exempla emendare, quibus mihi dudum nocuit et nocet. Caeterum literae in Suecia languent, luxus omnes potentis gentis divitias consumit, artesque frivolae solae remunerantur.

Nova editio Usongi emendatior sub prelo est.

Interpellor de edendis amicorum epistolis et satis placet consilium. Incommodum est diversitas linguarum. Passim quae nocere possent erunt delenda.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 29. Jul. 1772.

458.

(453).

Ecce, Ill. Gesnere, Nova Lit., addidi fasciculum pro D. Eppli, quem benevole velis nuntio publico tradere.

Sic cerealia accepi, de quibus plurimas gratias ago.

Quando meae plantae Austriacae advenient, communicabo. Mihi majoris quam illae usus visae sunt quas habemus, exemplar erat Saussurii.

Nummos quos debeo currus adferet.

Tu vero interim vale, vir Ill., et me ama. Die 31. Jul. 1772.

Forsterus in australes terras, publico sumtu, Bankesius cum Solandro suis in Islandiam profectus est.

³⁾ Johann Georg Forster (1729—1798), Reisender und Naturforscher. Er unternahm 1772 eine Reise um die Welt und veröffentlichte *Observations on physical, geographical natural history*. ADB VII, 170.

459.

(454).

Ecce tomum operis Frankiani, qui ut puto Tuo specimini deerat.
Adjeci nummos

Soll Schäfer u. Trew	24.	36.
Soll haben Hill of timber	2	20
porto Jacquin	1	5
Scopoli	4	
	<hr/>	
	8 =	12 gl.

mitto ergo 12 gl., quae computatis valoribus aurei nummi ni fallor fere rem conficiunt. Si non recte computavi, quaeso mone. Scopoli pretium invitus addidi, qui tam multa Tibi debeam.

Libros varios ex Anglia accepi, inter eos Westoni duo prima volumina. Forsteri Floram Americae septentrionalis, Letsomi Theam¹⁾ cum pulchra et nova icone: haec forte Tibi poterit usui esse, si jubes misero.

Pennanti opus utique nondum censum est, ego quidem ante tres menses misi, sed aliquantum morae nascitur ex ubertate censurarum.

Is Straage d<ebe>t mihi libros a Caldano adferre, novam potissimum itinerum Targioni editionem, sed nondum advenit.

Opto ut convalescas, ego bene habeo.

Jacquini plantas Vindobonenses non vidi nisi in exemplo Sausurii, sed ipse exspecto.

Epistolarum primus tomus²⁾ verno tempore prodibit. Obtuli Vestris, sed non responderunt. Iterum impressionem interruperunt miri homines, ad exhauriendam patientiam nati.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 12. Aug. 1772.

460.

(455).

Mitto Tibi, Gesnere Ill.:

1. Tomum novum Commentariorum nostrorum,
2. Nova Gottingensia nuper accepta,
3. Forsteri Floram, nam Westonus non meretur mitti, Letsomum nondum legere potui. Forsterum ubi commodum remittes.

Putabam Te priora volumina Berkheyi habere et Tibi haec destinabam. Gunneri T. II³⁾ ubi legeris, si placet mecum communica, nostri non habent.

1) John Coakley Letsom, Observationes ad historiam Theae pertinentes. Leid. 1769. BB II, 601.

2) Epistolae ab eruditis viris ad Albertum Hallerum scriptae. 6 vol. Bern 1773—75.

3) J. Ernst Gunner, Flora Norvegica. BB II, 562.

Gmelinus (amici mei filius)¹⁾ scribit alterum²⁾ in patriam redire vocatum, ut cathedram botanices repleat, et jam Astracanium advenisse. Orlovius non maxime ejus diligentiam laudabat.

Tempus urget. Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Die 21. Aug. 1772.

461.

(456).

Iste D. Straage accepit a Caldano 4 volumina itineris Targionii (nova editio) mihi reddenda. Venietne Bernam? Possesne, si adhuc Tiguri est, ab eo eum fasciculum recuperare? Non amo has opportunitates, Angli potissimum recentem fasciculum neglexerunt, quem debebant adtulisse.

Filius reddet Gunnerum, exspectabo donec integer sit. Si vero postquam legeris, velis Vandellii librum communicare, gratum faceres. Forstero facile carebo quamdiu Tibi visum erit.

Nullum unquam deterius in vita mea cepi consilium, quam illud quo me Vestris typographis conjunxi. Uti nunquam desum promissis, ita aegre me habet quoties ab aliis destituor. Singulis hebdomadibus bis folium emendandum exspectabam, et frustra semper; et video certe me intermoriturum immenso operi cum meorum heredum insigni damno, idque nunc fero, post millies promissam et repetitam spem accuratae editionis. Nunc scripserunt se pergere non posse ob nundinas. Adeo ne tantillum eos pudet deesse suo honori, ut ne quidem se excusent.

Jacquinus scripsit, fasciculum misit per Baumgartnerum Sugensem, quem vero nondum accepi. Offert Tibi Floram Austriacam; doleo vero quod bono operi adeo insanum faciat pretium: singula decas venit ducato. Ita statues num exemplum velis. Nummos nostros dudum accepit.

Hinc inde aliqua morbi vestigia percipio, recte caeterum digero, et incommoda illa alvi pigrities emendata est, sed hiemem metuo.

Pennantius Synopsin quadrupedum scripsit, quam nondum vidi[t]. Aves Britanniae Noribergae prodire ceperunt. Non vidi icones Anglicas, Germanicae mihi paulo meliores visae sunt.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 5. Sept. 1772.

462.

(457).

Cl. Straage per nostram urbem transiit neque me adiit, neque libros dedit neque literas. Non male tamen de eo eram meritis,

1) Johann Friedrich Gmelin (1748—1804).

2) Samuel Gottlieb Gmelin (1743—1774), Professor der Botanik in Petersburg und Forschungsreisender. Gurlt-Hirsch II, 579 f.

Cum enim nummis indigeret, a mercatore rogatus, num aliquos ei bene confideret, suasi audaciter confidere. Fac quaeso, amicissime Gesnere, ut ab eo Caldani fasciculum accipias, eum mihi mittas, dic eum me valde desiderare, ut ad diarium Gottingense eo uti possim. Vel Tibi Vandellii libellos remittam vel ipsi tradam, quos gratus accepi. Typographi per 2 menses cum nihil praestitissent, tamen publice promittunt, duos se tomos Bibliothecae anatomicae duros proximis vernalibus nundinis. Vereor ut unum dent.

Nihil valde habeo quod scribi mereatur. Multa nobis pugna cum Gallis, quorum in provincia Gex pulmonalis phthisis inter boves grassatur; inertissimi natales cum suis scholis veterinariis ne defodiunt quidem cadavera. Nos milite limites munivimus armato, solo enim vico la Divenne lues a nobis distat. Verum ut poterit id fieri vigilabitur, ne respublica detrimentum capiat. Ea negotia nunc tota fere mihi incumbunt.

Nova Usongii editio his diebus adveniet, paulum mutata. Ad Ebrodunensem Encyclopaediam nunc aliqua praeparo et Comm. III et IV de sentientibus partibus et irritabilibus pro Gottingensibus. Frumenta delineata dabo, nisi Tuae tabulae prodibunt; id si fieret, nollem, sed neque possem Tecum concurrere. Characteres intelligo generum, specierum, praecipuarum varietatum.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 26. Sept. 1772.

463.

(458).

Mirus mihi homo videtur ille Straage. Hic cum abiret, dixit se Tigurum ire et cito rediturum; nescio quid de eo suspicor. Interim porro commendo Tibi meum fasciculum, si redibit.

Ecce fasciculum X Oederi, per inertiam Murrayi (hominis non botanici) per annum Gottingae latentem.

Fasciculum recte accepi, Oederum pro Trewio rogo accipias.

Oederus Stiftsamtman (insigne officium) Tronthemii, nunc ut puto operi suo valedixit.

Pulsus meus intermittens ex quo frigus rediit, mihi denuo molestus est, horis potissimum vespertinis, caeterum non male valeo. Penitus incertus sum quam causam huic symptomati adsignem. Acido elixiri dipp. nunc sub coenam utor. Noctes non sunt malignae.

Remitto libellos Vandellii.

Floram Tubingensem videre aveo, ubi prima rudimenta artis didici.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 8. Oct. 1772.

464.

(459).

Ecce, Gesnere praestantissime, Nova Gottingensia.

Schinzii libellum gratus accepi, vellem per opportunitatem Störkianum etiam legere, ad quem utique provocat.

Straagius misit fasciculum, novam nempe et auctam editionem itinerum Targionii. Verum ii 4 tomi respondent tantum 2¹/₂ tomis antiquae editionis, et multum adeo aucti sunt.

Floram Tubingensem accepi.

Nihil properato opus est in libris meis.

Quavis die nunc paroxysmum mali mei experior; fere stata hora 8¹/₂ cordis adest dolor et pulsus quarto fere in ictu intermittens, post quem vehementior ictus sequitur. Accedit fere frigus aliquod et una borborygmi sunt, duas post horas deficit paulatim ille vehementior quartus pulsus, nox quieta est diesque. Vires caeterum bonae, neque a corporis motu pulsus mutatur, digestio praeter hos borborygmus bona et appetitus et egestio alvi. Corticis Peruviani infuso utor, et sensim malo forte immedicabili adsentio. Id molestum habet, quamdiu pulsus intermittit, omnem aliam cogitationem fere excludi.

Jacquini advenit fasciculus. In eo erat duplex exemplar partis Florae Austriacae. Dudum tamen scripseram, Te nondum jussisse accersi; quare statues ut videbitur; mihi quidem utilior haec Flora est quam Hortus. Addidit ad 300 tabulas Dioscuridis Caesarei Neapolitani, in quibus multas plantas adgnoscas, alias minime, rudes autem sunt, fere quales Schaefferianae aut Chinenses. Si quando lubebit inspicere, mittam. Quotidie eum hortor, ut edat, multa vero habet quae objiciat.

Tandem adventat fasciculus Suecicus. Promiserunt etiam Geerii insecta, tomum II. und III.

Vale et me ut soles ama. Bern. 23. Oct. 1772.

465.

(461).

Plurimum Tibi debeo, Ill. Gesnere, ob donum Störkii, quod filius adtulit. Utique asper morbus me coegit ut die 30. et 31. alvum ducerem. Iis diebus nullum mali vestigium sensi, ut appareat in abdomine esse fomitem mali, sed die 1. et 2. iterum paroxysmus vespertinus ingruit cum aliquo cordis dolore et deliquii sensu, tamen ut noctes sic satis bonae fuerint. Passim pulsus interciderere non ignoro, sed paroxysticum malum nondum legi. Cepi aliquam ferri copiam cortici Chinae chinae addere.

Tabulae Florae Austriacae ejus desunt cum tabulis horti generis. Decadum numerum ignoro, puto decem esse.

Geerii II. et III. tomum ait se misisse Wargentinus.

Litterae sub prelo sunt, plurimae Tuae, sed cavebo ne quaequam molestiae amicis ex libera animi sui effusione superveniant. Delevi omnia, et quae anno 1733 de Scheuchzero querebaris, sic ubique egi. Tomus I. vernis nudinis prodibit.

Dioscurideas tabulas mittam quamprimum erit aliqua opportunitas. Merentur evolvi, etsi pleraeque rudes sunt, multas tamen non difficulter adgnoscas. Nosti nos, me incitante, difficultates omnes ob pestem Moscovensem commercio objectas removisse edicto quod conscripsi 20. Oct. Nunc post reditum praesidis praesidio collegii sanitatis liberatus sum.

Malis (nam id nomen fuit contagioso morbo pulmonum) in nostram ditionem ex Burgundia irrupit. Singulis tamen in pagis unica bestia laborat, et speramus nihil porro inde malum publice se propagaturum. Miror quam parum exteri nosologi hunc morbum intelligant; ulcus enim est pulmonis, neque quidquam praeterea. Ex schola veterinaria homines a Gallis advocati nihil fecerunt quod operae esset pretium.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 4. Nov. 1772.

466.

(462).

De Johanne Straage non audivi, Gesnere praestantissime, neque libellos mihi retulit.

Curam gero ne quidquam imprimatur quod amicis meis sit molestiae. Primae epistolae nostrae procul dubio sunt juvenum, sed meliores succedunt. Inania omisi.

Non possideo P. Gerundii Salp... Non vidi Linnaei Nomenclatorem. Accepi Comm. Parisinos a. 1769.

Pediluvii cum semine sinapi adhibitibus morbus meus tandem in podagram versus est, et cordis labores remiserunt. Satis sentiebam, tantum malum et convulsivi generis esse et non posse causa carere potente, quae adeo vehementer primarii organi officio obstaret.

Knutii Locanii editionem Danicam accepi cum animalium iconibus, artes etiam porcellanae fabricandae.

Fac quaeso ut Vestri respondeant de Scheuchzeri posthumis, pigriores homines dari posse nego. Multa sunt quae vetant in opere pergere, quoad voluntatem suam indicaverint; illi nihil respondent. Itaque ad alia me converto.

Filium meum Amstelodami nunc sedem fixurum insse non mediocri solidae fortunae sibi paratae.

Ritterus olim noster discipulus libellum misit mihi inscrip-

tum¹⁾ medici et sceptici fere argumenti. Inter fratres unitatis vivit olim Professor Franckeranus.

Vale, vir Ill., et me porro ama. Bern. 28. Nov. 1772.

467.

(463).

Tandem advenit D. Straage et libros retulit, communicavit etiam Fortis curiosos libros impressos et manuscriptos. Butius de ossibus illis humanis ad me scripserat, quae mireris in reliquo terrarum orbe adeo rara esse.

Ultimis diebus exanthemate pruriginoso in utroque pede laboravi, procul dubio orto ex usu pediluvii acris diurno. Quiete et lecti calore id exanthema pene dispulsum est. Caeterum nunc 25 die nihil de pulsu illo terrifico percipio, gratiasque ago divinae Providentiae, qui tot morbis obnoxius nullum unquam aegrius tuli quam hunc ipsum pulsum, qui somnum et appetitum destruxerat undique. De podagra vix quidquam superest.

Cl. Friis Rotböll ad me scripsit de opere suo Graminum, quod ipse vendit. Fasciculus I. prodiit, sunt fere Gramina ex Coromandeliam et ex insula S. Crucis. Multa nova genera constituit, ut Restia, Chondropetalon etc. Icones perpulchrae. Ego quidem emam; si emere volueris, una cum meo exemplo curabo adferri. Nondum vidi nisi specimen et tabulam. Pretium est 6 florenorum Belgicorum. Procul dubio noles carere. Ritterus sceptica scripsit de rebus practicis.

Erysipelas ab acrimonia pediluvii natum dispulsum est quiete et calore, de podagra tamen nonnihil percipio, caeterum satis recte valeo.

Molestissima est horum typographorum pigritia, a quibus responsum extorquere nequeo. Scheuchzeri interim opera praeparo. Ad Tomum I. addidi 1. synonyma mea et Linnaei, 2. species 70 a Scheuchzero praetermissas, meas omnes, 3. dissertatiunculam de methodo et generibus graminum. Describi etiam curavi 75 plantarum descriptiones Scheuchzeri, fateor parum ad nostros mores adoptatas, et synonyma adjeci.

Vale et me ut soles ama, Gesnere praestantissime. Bern. 16. Dec. 1772.

468.

(464).

Accepi, praestantissime Gesnere, exoptatas Tuas. Misi tunc libellos quosdam mathematicos Birdii, leve si placebit donum.

1) Joh. Jak. Ritter, Zweifel über einige in der ausübenden Arzneykunst im nördlichen Deutschland bemerkte Gegenstände, Lehrsätze, Moden. Bunzlau 1772. Gurlt-Hirsch IV, 39.

Mittam etiam Nova Lit. Gottingensia, quae advenerunt.

Fasciculus ex Suecia advenit cum nonnullis botanicis Kadmii et Linnaei, pluribus physicis, vetusta omnia et missa a. 1771 per Murrayum, juvenem medicum, a quo nunc demum accepi.

Lubenter legerem elogium Swietenii, non est autem properato opus. Straagius ante paucos dies Lausannam petiit.

Iterum de Agrostographia difficultates movent Vestri. Nolunt epistolas imprimere, de sumtibus queruntur. Miserrima res est quod cum istis inconstantissimis hominibus quidquam mihi sit. Scripsi interim ad Agrostographiam tria supplementa 1. synonymarum, 2. specierum novarum, 3. de generibus diss. Correxī etiam et illustravi Catalogum plantarum a. 1709 Scheuchzerianum. Nunquam ferrem jacturam otii quod in hos labores frustra impendissem.

Valetudo bona erat; eam ingrattissimus nuntius aliquantum perculit de non exigua parte Bibliothecae anatomicae Bernam inter et Lausannam hactenus amissa, quae jactura difficillime repararetur In hoc malum nunc sollicite inquirō.

Tu vero vale, vir praestantissime, et me ut soles ama. Bern. 2. Jan. 1773.

469.

(465).

Valetudo mea lente emendatur. Ciborum equidem coctio sic satis bene se habet, sed urina perpetuo turbida sedimentum ponit album, cujus pars per filtrum non transit et florescit, penisque nunc speciem induit. Cortice Chinae chinae cum lacte utor.

Trewianam decadem recte accepi, alteram Engelio misi. Nummos reddet D. Schulthess.

Quantum omnes qui religionem amant Vestrorum hominum inconsiderata procacitate offenduntur, dici vix potest; ego quidem nullum majus vulnus ecclesiam passam esse memini. Neque adeo difficile esset remedium, interpretationes vocum biblicarum potissimum venena plena sunt et Christi divinitatem atque merita refutant, eas oporteret abjicere.

Schmiedelius me invisit.

Accepi libros varios, inter eos plura exempla Mulleriani libelli de animalibus minutissimis; eorum unum ad Te mittam, cui enim magis merito mittatur, ego quidem non video. De reliquis libris nihil addo, quos procul dubio jam vidisti. Exspecto fasciculum Rotböllii, quem in literis promittit cum graminibus.

Spero me alium bibliopolam reperturum, ut de taedio me solvam, quod a Vestris injustis typographis experior. Magna id fiet

cum jactura mea, sed exigua est optio, cum ex proximo imprimi sit necesse, quo possim emendare.

Alfredi manuscriptum ¹⁾ Gottingam misi, transibo nunc ad rempublicam ²⁾.

Savaricus absurdam dedit historiam scriptorum rei naturalis nuperorum, in Gesnerum iniquus. Cum isto, cum Agricola et Tournefortio miscet compilatorem Johnstonum. Undique bilem mihi movet. Rem herbariam in Gallia renatam esse dicit, immemor Fuchsii, Tragi, Cordi. Condorceti Elogia Academica seculi XVII multo meliora et ingeniosa sunt. Marshalli legi itinera ³⁾, quae forte hic vertentur. Ignarus rei naturalis et rusticae multas tamen regiones adiit, de quibus vix quidquam alibi reperias, Sueciam alpinam, Finniam interiorem, Russiam.

Synopsis avium nupera est Pennanti, genera paulum alia a Linnaeanis. Exiguum est opusculum, a Zoologia longe diversum. Hillii etiam historiam spathi accepi, novum tomum magni operis exspecto.

Emi nuper exemplum iconum I. B<auhini> a Grafenriedio secundum classes in propriis foliis compressarum, diversissimum a Chabraeo, cum interpretatione manuscripti commodum compendium, nisi folio magno icones expressisset. Solae sunt icones I. B<auhi>no propriae, omissis Fuchsianis.

Vale, vir Ill, et me ut soles ama. Bern. die 13. Jan. 1773.

Nunc ex epistola video ad Bonnetum Mullerum 4 exemplaria sui operis huic amico pro aliis destinare, ut mihi nullus supersit, quem adeo lubens Tecum communicassem.

Diss. Jägeri grate accepi, Milleri opere carebo, qui Houtteynium habeam. Utique de vino male judicari puto, neque tuto a lentitia de copia alcoholis iudicium sumi.

470.

(466).

Ecce, Gesnere praestantissime, Schwediauerum et mea Nova lit., titulus sequetur et index. Doleo quod nolis hoc tibi donulum continuari.

Forsterum non vidi, Boyleus et ad nos advenit.

Et porro nulla a Vestris responsa de Scheuchzero accipio, etsi nunc (ut omnibus querelis fiat satis) sola botanica absque tabulis

1) Alfred, König der Angelsachsen, erschien in Bern 1773.

2) Der dritte von Hallers Staatsromanen: Fabius und Cato. Bern 1774.

3) William Marshall (1745—1818), Landwirt und Philologe, reiste vierzehn Jahre in Rußland und Indien. Dict. Nat. Biogr. XXXVI, 251.

me editurum permittam. Laboris satis tuli, tres appendices scripsi ipsis desiderantibus, eorum honorarium, si ipsi foedus fregerint, summo mihi jure debetur.

Ebrodunensis Encyclopaedia a. 1775 et dudum ante Parisinam erit absoluta voluminibus fere 45. Nunc prima mea prodierunt, literae F. Gottingae possum nob. juvenem commendare Heynio¹⁾, Buttnero²⁾. Sufficiet si mense Martio iter adgrediatur, quo posset paschales praelectiones adire. Lubentissime mittam literas commendatorias.

D. Geerii nova duo volumina lego. Est etiam Alexandri de putredine satis singularis et paradoxus liber³⁾. Suecica alia bene multa accepi, ea inter novum inventum nitrariarum fossarum, cum conatibus acris Gaddii, Linnaeana, sed practici generis, aliqua.

Recte, quo Deo sint grates, valeo, et nunc ad Alfredum me accingo, sive monarchiae moderatae specimen. Finis erit in republica.

Literarum ad me datarum Tomus I. propediem prodibit: plurimae Tuae, aliquae Linnaei. Curavi ne quid inde Tibi litium nascatur vel taedii. Aurelianus sub prelo est, procedit lentissime.

Gouanus jubet me exempla duo petere, petii; opus suum ait esse absolutum.

Wahlinus de morbo secalino accurate scripsit, non putat esse a clavo, longe minus a Raphanistro, innocente olere.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. die 10. Febr. 1773.

471.

(467).

Ecce, Gesnere amicissime, primum volumen Epistolarum, quarum plurimae sunt Tuae. Grata fuit semiseularis nunc fere amicitiae recordatio, neque ingrata contemplatio, quod nos pene solos tot ex amicis Deus servavit incolumes. Addidi quae Nova Gottingensia compleant ad a. 1772.

Mone quando Reinhardi literas oportebit scribere.

Vos feliciores, nostrae scholae ita languent, ut nemo fere parentium pueros suos ei institutioni possit tradere.

Gaddi disputationes quaeso Tibi serva.

Dalucium cominus novi, fastuosum demagogum.

Libelli aliqui ex Suecia advenerunt, non maximi momenti, Linnaeani nihil, praeter mantissam alteram.

Recte satis valeo Dei gratia, et leves tantum pulsuum percipio

1) Christian Gottlieb Heyne, prof. ord. eloquentiae et poeseos in Göttingen.

2) Christian Wilhelm Büttner, prof. phil. ord. in Göttingen.

3) William Alexander, Experimental essays on the application of antiseptiks in putrid diseases. London 1768. BA II, 653.

interruptiones, digero cibos et dormio. Fastidii plurimum curant bibliopolaе Vestrae. Non video ut immensum opus unquam conspiciere possim ea aetate. Interim ad practicam partem me accingo.

Schuleri accepi Gramen coninum pulchre depictum.

Non puto Te rescripsisse de Jacquinii plantis Austriacis, num eas velis Tuas esse. Vix puto nos carere posse. Exemplum coram est, nondum quidem perfectum. Pretium fateor magnum esse et potius nimium, ipse enim sumtus facit.

Ita vale, vir Ill., et me ama. 16. Mart. 1773.

472.

(468).

Alexandrum, quo per Tuam humanitatem usus sum, Gesnere praestantissime, continuo remittam; exspecto ut aliquid possim addere, et spero Epistolarum Tomum II propediem ex prelo proditum.

Vires lente convalescunt, urinae nocturnae sollicitatio rediit, et sedimentum aliquantum auctum est. Videtur hoc malum, mitius quidem, mecum consenescere.

Schinzianae editioni meum nomen quaeso subscribe.

Etiam nobis mures infesti sunt, sed tamen messis ab ipso eventu superata est, et frumenti emendi libertas Neocomensibus, Neovillensibus et Biennensibus nuper est reddita.

Hankei Vestri iter magnificum Solandri accepi, populare magis quam ad incrementa utilium scientiarum natum.

A Bellardo pulchras plantas accepi; exspecto novum Tomum Miscellaneorum Taurinensium, qui denique prodiit.

Chirurgica Bibliotheca cepit inprimi, nitide satis et emendate. Sic Alfredus. Saussurius advenit, quem nondum vidi.

Rosenius antiquus amicus nuper obiit, infelix et malis adstrictus senex. Me his diebus iterum malum meum adfligit, et videtur alicubi abscessus esse, qui subinde se exmovet, symptoma ei nullum praeter irritationem pene perpetuam ad reddendum lotium.

Vale, Ill. Gesnere, et me ama. Bern. 18. Mart. 1773.

473.

(469).

Ecce, Gesnere praestantissime, literas desideratas.

Gouanus valde molestus est, heri quae potui ad Locherum misi, ei destinata. Scholae Vestrae nova incrementa gratulor. Nos hac in re toti deficimus, quae mihi tot filiorum patri valde molesta fuit. Heri advenerunt Jacquiniana, primum defectus ad Floram Austriacam, quam non puto Te facile carere posse, tum Horti Vindobonensis ut puto finis. Pretium semper immane, et praeter

ea absurdi sumtus 14 florenorum pro fasciculo, cujus summae non possum non Saussurio, Tibi et Dickio cuique 3 francs imputare, ut mihi 5 alios servem. De hoc quidem ei scribo proxime, ut porro nundinarum occasione uti velit. Hortum mitto 26., an et Floram desideres impera. F... nondum advenit, exspectat meum de nonnullis iudicium, quod continuo mittam.

Vale caeterum, vir excellentissime, et me ut soles ama. Bern. 20. Mart. 1773.

474.

(470).

De Jacquini Flora Austriaca nondum perfecta liberum est Tuum iudicium: mihi quidem potius melius videtur opus altero, et videbis ex Horto vix posse superari. Solum mitto Hortum, 70 iterum tabulas enormi venales pretio 7 Hungaricorum: currus adferet publicus die Veneris. Nummos vel mihi poteris curare, vel sensim mittere. Gouanum accepi, subasperum et decisivum nimis.

Audivisti forte de D. Langhansii petulantibus satyris¹⁾, quas in nupero opere medico *Von den Folgen der Laster* jussus est eliminare. In me etiam et injustissima effuderat.

Ipsae monui in praefatione severius fore meum iudicium in omittendis literis ab amicis, caeterum nimis parum Tibi tribuis. Nomen Cl. fratris nescio quomodo corruptum emendabo. Tomus II est sub prelo. Hillius misit Tomum XIX, nondum advenit.

Satis ego quidem recte valeo, operum editiones languent. Nescio quid alterius operis hoc anno suscipiam, cum longissime remota sit editio practicae Bibliothecae. In Alfredo versor, mere politico opere, cui accedet Fabius et Cato, sive de republica. Fateor tamen Alfredum longe minus mihi placere Usongio, nimis serius videtur et severum opus, quo potissimum de monarchia agitur temperata. Usongium Anglice verterunt et Belgice.

Serpit adhuc in pagis lues, ad fines provinciae Gex. Spes autem est per accuratiorem praefectum luem iri suppressum.

Filius meus mercator in patriam iter faciet, ipse suo nomine negotiaturus Amstelodami.

Gypsi lavatorem M. societati Britannicae ad perficiendas artes etc. commendavimus, ipsi 20 duc. praeter praemium ei misimus. Responderunt Angli, se in potestate nostra fore. Oeconomi nostri rustici gypsi usum vehementer laudant.

Sandyforti Rationem in a accepi. Quid de Friderico

1) Dan. Langhans, *Von den Lastern die sich an der Gesundheit der Menschen selbst rächen*. Bern 1773.

Albino factum sit non intelligo, certe Sandyfortus propediem cathedram adit anatomes et chirurgiae.

Ita vale et me ut soles ama. Bernae 1. April. 1773.

475.

(471).

Pretium Jacquini utique nimium est, caeterum vir bonus, modestus et in communicandis quae habet liberalis.

Fredericus Albinus, ut nunc video, anatomem cessit Sandyfortio et Professor medicinae renuntiatus est.

Multa bona possent ab eo chirurgo Werdeleno(?) sperari.

Vexor ab infecto symptomate, cujus causam veram nondum satis perspicio. A die 16. urinae liberum iter intercipitur, ut vix nisi acceleratoris ope liberer, videtur prope glandem locus esse subdolens, qui urinam repellit. Et tamen siphonem facile admittit. Hac ipsa nocte pene coactus sum ad chirurgiam confugere, multa demum adpersa frigida <aqua> iter restitui. Nihil sentio in vesica, neque usquam nisi in glande, et etiam ibi nullius momenti dolor est.

Vidi Burchardi compilationes, incommoda arte aliqua bona veteribus operibus adsumtis. Ita cum Rumpio perpulchras aliquas nuperas plantarum icones, cum I... aliquas Roberti sculptas dedit. Misit Sangierzius(?) de Alopecuro spica aspera magnum opus splendide excusum. Ejus grani farina, et etiam magis glumis admistis, ajunt panem militarem corrumpi, ut morbi inde populares nascuntur.

Cenchri (sed est Poae adfinis) nomine gramen accepi, quod novum videtur. Locustae satis plumosae plurimae circumstant.

Gilbertus Anarchiam medicam mihi inscripsit, laxum et amplum opus, in quo medicinam habet

Nondum accepi Usongium Anglicum. Epistolarum nupera editio valde vitiosa est, et multae voces omissae.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. die 24. Apr. 1773.

476.

(472).

Post meas nuperas febre horrida et nescio quot malis, plena etiam atonia ventriculi, laboravi, nunc paulatim convalesco, ut tamen semper urina frequens, pallida, et miris mucosis plena sit.

Has eo fine dedi, ne diuturnius silentium meum majoris periculi Tibi paret suspicionem.

Vehementer dolui de Vestra bibliarum editione, in cujus vocularum expositione merita Iesu Christi et justitia per ejus mortem nobis requisita ita eluduntur, ut tota res ad paganismum bonosque

more redeat. Nihil dudum mihi acutius accidit. Det Deus ut tanti mali auctores ad meliorem mentem redeant.

Vale et me ut soles ama, Gesnere humanissime. Bern. 29. Maj. 1773.

477.

(473).

Paulatim et lente convalesco, Gesnere optime. Dolor in viis urinariis multo mitior est, saepe nullus, mucii copia in lotio videtur minui, appetitus paulatim meam in gratiam redire.

Trewianum opus Engelio misi, mei pretium Ampl. Schulthessius numerabit. Non vidi animalia Mülleri, sed Burmanni editionem systematis Linnaeani. Ill. Schmiedelius mecum fuit. Lausannam ducissam Wurtembergiae comitatur. Promittit proxime fasciculum Gesneriani operis.

Libri Anglici advenerunt multi antiquiores, Pennanti animalia Indica, Synopsis quadrupedum, Edinburgensis quaedam avium Synopsis, Youngianorum aliqua. Misit Mutina D. Scarpa suum de organo auditus opusculum. Haec pauca interim scribo, cum vires debiles multaque sint coacervata, quae expedire oportet.

Vale ill. Gesnere. Bern. die 5. Jun. 1773.

478.

(474).

Ecce, Gesnere illustris, novum Tomum Commentariorum nostrorum.

Nihil possum nisi dolere, sed doleo, quod unicum nostrum solatium, divinitas Iesu Christi ejusque mors quae nostra est justitia, nobis a nostra Ecclesia eripiatur.

Valetudo mea utcunque melior est, febris deferbuit, urinae etiam incommoda et sedimentum minuuntur ex Uvae ursi usu, cujus in decocto semunciam quotidie sumo.

Caeterum hic morbus vehementer vires meas adtrivit.

Utique de Vestris typographis et quod acerbe conqueror. Spero vero me omnium [iri] vinculo propediem iri solutum, magna quidem cum mea jactura.

Trewiani heredes miserunt finem operis Blakwelliani, Rotböllus vero sua perpulchra gramina exotica, sicca etiam nonnulla adjecit.

Paulatim ad solitos labores redeo. Iis novus, etsi non magni momenti accessit, editio medicae partis historiae stirpium, quam molitur Vicatius, ego cupio.

Ita vale et me porro ama. Die 22. Jul. 1773.

479.

(475).

Obsecro Te, Gesnere optime, ni patientia Tua abutor, ut velis mihi semel adhuc Alexandrum Aphrodisium mittere, quem continuo expediam.

Beckmannum ¹⁾ non valde profundum puto physicum esse.

Valetudo satis bona esset, vitium urinae exiguum, sed mira superest debilitas; cum id tentarem, nunquam potui superare gradus (einer Treppe). Dormio tamen et appeto, et caeterum recte habeo. Urina copiosa, sana est et pallida, cum exiguo sedimento.

Melius fecissent Vestri, si scandalum sustulissent et dictionarium abolevisent.

Typographi vestri omni modo et in re et in stilo male mecum egerunt. Nunc Basileae Tomus I. Bibl. Chir. sub prelum datus est.

Hillius misit T. XXI, sed XIX et XX nondum habeo.

Mira pulchritudo est operis Rotbölliani de graminibus, leve autem opus Gleditschii, catalogus plantarum, ajunt nummos venari.

Encyclopaedia Oeconomica Berolinensis multum aucta est, non tamen in rebus botanicis.

Multa pulchra gramina misit Rotböllius.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. die 4. Aug. 1773.

480.

(476).

Non recte ut puto mentem meam exposui, Gesnere praestantissime. Scopus erat mensuras barometricas Delenii(?) cum Scheuchzerianis comparare, et nosse, quantum different 19" 6" Delenianae a Scheuchzerianis 19" 2". Nunc si Scheuchzeri pollex est ad Paris. ut 100 : 108, videatur 19" 2" Scheuchz. dare Parisinos pollices 17" fere 8", quod mihi videatur improbabile. Deinde si pollex Tigurinus est ad Paris. ut 100 : 108, tunc pes esset ad pedem :: 1000 : 1096, cum 10 pollices sunt in pede Tigurino et 12 in Parisino, quae non esset eadem ratio quae 133 : 144, etsi non multum recedat ²⁾).

Post priorem epistolam meam vehementer affictus sum ab illo urinae vitio, ut fere omnem somnum eriperet, dolores etiam nocte cieret vehementes. Ad balnea confugi domestica, molestum exercitium et palliativum, noctes quidem inde succedunt meliores. Pulsus etiam denuo intermittit, quem tamen nunc minus abhorreo, postquam novi pene sponte in ordinem redire. Advenerunt exempla

1) Johann Beckmann (1739—1811), Prof. der Philosophie (1766) und darauf (1770) der Oekonomie in Göttingen, früher Lehrer der Physik und Naturgeschichte in Petersburg. Foggendorff I, 127.

2) Vergl. Epist. VI, 124 f.

Florae Austriacae vel I. Jacquini. Eorum unum Tuo nomini ab ipso est inscriptum; repetito tamen monueram, Te non mandasse, ut emerem. Tu quid jubes mone, eximium vero est opus, pretio quidem nimio.

Helvetii pestilentem librum posthumum de l'homme¹⁾ bibliopola ad me misit. Atheus perpetuo confundit religionem christianam cum Romana, quam vehementer exagitat, omnia vero ad sensus revocat.

Sulzerus ad me scripsit, ex pulmone tabescens. Sperat tamen se opus suum absoluturum²⁾. Perinde Mekelius. Uterque se suo munere abdicat; iste promittit historiam vasorum lymphaticorum³⁾.

Ignosce quod addam hic chartulam ad Orellios etc.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 15. Sept. 1773.

481.

(477).

Ecce dissertationes aliquas, quas cupio ab Eisfeldio mitti. Ipsum catalogum lubenter mihi servassem, remitto tamen, si aliquando Tibi inutilis erit, gratus foret.

Valetudo mea fluctuat. Post balnea domestica urina quidem limpida absque sedimento est, et sollicitationes tandem remiserunt. Contra febricula nocturna me vexat, aliqua etiam diurna, levis, ut appetitum non frangat, somnum turbet, cum aliqua anhelatione. Podagra brevissime perstitit.

De Jacquini opere Tuum volo iudicium. Repetito monui virum, Te non certum esse num desideres; bonum quidem opus est, forte ad Tuos usus minus aptum, qui potius generum velis characteres.

In Rosier obs. IV. aliqua sunt botanica, ut de Theae triplici discrimine, quae sit flore 3 petalo, 6 petalo, 9 petalo, vulgo scopo quinquepartito. Valde haec mihi improbabilia videntur, et quae dicitur flore esse tripetalo, petalis est bis ter, sed inaequalibus. Figura etiam petalorum in 9 petala valde differt.

De Flora Danica nondum audivi.

De lue bovum dissertationem⁴⁾ dedi, cujus versio Germanica sub prelo est. Si quidquam theoriae respondeat, curatio foret anti-phlogistica. Et tamen contagiosa indoles indicere videtur latentem malignitatem, quae eam curationem non servat.

1) Erschien 1772 in 2 Bd.

2) Die „Allgemeine Theorie der schönen Künste.“ Leipzig 1771—74.

3) Joh. Friedr. Meckel, Nova experimenta et observationes de finibus venarum ac vasorum lymphaticorum in ductus visceraque excretoria etc. Berlin 1772.

4) Erschien lateinisch in den Nov. Comment. Gott., deutsch Bern 1773, ebenso französisch.

Bibliotheca chirurgica ante anatomicam prodibit, cum Basileae continuo prelum laboret, Tiguri omni fere mense suspendatur.

Nunc heri demum cum aliquo terrore percipio, etiam supra genu d<extrum> esse nonnihil oedematis, nam infra genu dudum id mihi familiare fuit, sublevat aliquantum quod crura a balneo mire intumuerint.

Alfredus de prelo prodiit, sed nondum accepi.

Vale, vir Ill., antiquissime amicorum, et me ut soles ama. Bern. die 25. Sept. 1773.

482.

(478).

Valetudo mea haeret in urina, turbida, nimis sollicitante et importuna, etiam dolores faciente. Utor vapore, videtur bene succedere. Asthma evanuit.

Non videtur M. Joch, quem uniter superavimus, adeo altus esse ut argentum vivum ad 17" 3" descendat. Et tamen ita requirunt calculi Scheuchzeriani.

Optimus Kochius molitur utique opus populare botanicum. Valde dissuasi ne ipse sumtus faciat.

Mittam proxime libellum de lue pecorum meum.

Caelius continuo de prelo prodibit.

Zimmermannus Hanoverae caetero felix, valetudine est infirma. De Sulzero confirmat Heynius, ejus valetudinem esse desperatam. Alfredus de prelo prodiit, sed nondum vidi. Cato prelo continuo dabitur. Basileenses melius in Bibl. chirurgica procedunt quam Tigurini, etiam character est nitidior.

In Bibl. practica nunc versor, enormi et fere nimis vasto opere, sed ipse labor curas meas suspendit.

Pharmacopoea prodibit Edinburgensis, novum opus.

Condaminus sua de inoculatione opuscula¹⁾ conjuncta edidit.

Catalogum copiosum rerum naturalium ex Belgio miserant; ni habes mittam.

Itaque vale, Gesnere praestantissime, et me porro ama. Bern. die 9. Oct. 1773.

483.

(479).

Gratus accepi quas mihi, vir Ill., curasti dissertationes et Tuam etiam potissimum. Sic etiam nobis parca fuit vindemia.

Filius meus, qui his diebus nobis valedixit, humanitatem Tuam et beneficam amicitiam non satis scivit exprimere.

1) Charles Marie de la Condamine (1701—1774), der bekannte französische Mathematiker, der der Hauptkämpfer für die Inoculation in Frankreich war: Histoire de l'inoculation de la petite vérole. Amst. 1773. 2 vol.

De lue exstincta nihil addo. Voces aliquae Vestrorum nostros exacerbarunt, ego ut possum mitigo. Caeterum certi sumus multiplici experimento, nunquam tuto luem medicamentis tractari, serpere lente sed perpetuo et viciniae pericula perpetua reddere. Abbatiscellani semel et semel luem ex Austriaca ditione adlatam exstirparunt. Sed etiam nos nihil porro de lue audimus, qua tamen undique cingimur.

Nummos curabo ut reddantur.

Decadis pretium idem statuit Spielman quod nobis, ducati.

Valetudo mea semper pene eadem. Videor tamen mihi per assiduum usum balnei vaporis lenimen aliquod percipere dolorum; noctes aliquando tamen inquietae, nunquam satis commodae sunt.

Artes et novus tomus des Memoires advenit, quem nondum legi. In Phil. Trans. V. LXII egregia est dissertatio Josephi Priestley¹⁾ de aere vario (variis vaporibus infecto). Animalia etiam ex freto Hudson Bay describuntur, plantae vix ullae. Avium migratio negatur.

Gallus chirurgus meorum Elementorum partem vertit et edidit, quae spectat ad generationem, addidit suam de aqua amni dissertationem. Mentem meam non utique secutus est.

Alfredum propediem exspecto, et ipse de prelo prodiit et Caelius Aurelianus et Gallica versio scripti mei de lue bubula, vero pulmonis morbo.

Physiologiam Caldanus edit.

Haenius acerbe queritur de infide Swietenii animo.

Rogarunt me, ut hominem historiae naturalis peritum commendarem, qui eam scientiam Mietaviae doceat, trecentis ducatis aureis aut ultra. Non occurrit quem laudarem. Conradus per Sulzerum propositus non satis adnuit, sic neque puto Lobstenium²⁾ conditiones accepturum, quem volunt Mekelio sufficere resignanti.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 13. Nov. 1773.

484.

(480).

Acceptissimum mihi foret omnibusque bonis, si Vestri theologi vulnus ecclesiae universae, potissimum vero etiam Vestrae inflictum sanare possent. Vereor ut possint, adeo manifesto descriptum ex Telleri lexicon, merita mortemque expiatoriam Christi rejiciunt.

Medici Vestri et consilium valetudini publicae praepositum

1) Joseph Priestley (1733—1804), Observations on different kinds of air. Phil. Trans. 1772 u. 1775.

2) Joh. Friedr. Lobstein (1736—1784), angesehener Anatom und Chirurg der Universität Straßburg. Gurlt-Hirsch IV, 16 f.

nobis non bene Embaracensem luem celarunt; deinde etsi possent utique aliqua pecora servari, uti fere $\frac{2}{3}$ in Belgio convaluerunt, nihilo secius vel ex ejus Belgii exemplo adparuit, paucas istas curationes horrendam calamitatem non compensasse, quae ex neglectis severioribus cautelis propagata intra annum 160 000 boves in unica Hollandia abripuit. Etiam nobis serpsit aliquamdiu malum, et mitioribus consiliis circumseptum est, ita fateor, ut in 5 pagos se diffuderit. Nunc omnia sana sunt et quieta. Nulla vero humana sapientia, etiam in republica milite perpetuo armata obtineri potest, ut certi simus ex infecto pago pestem non alio propagatum iri.

Id cum aliquo dolore percepi, in conventu sanitatis Vestro scriptum nostrum, publica editum auctoritate adque vicinos confoederatos et nostros praefectos missum, censurae satis acri fuisse subjectum. Nunquam ego in nostra societate quidquam tulissem simile: neque tamen ut censura inscripta publica foederati populi auctoritate sancita fruatur.

Valetudo mea eo me adegit, ut denique Anglicorum amicorum consiliis obtemperans opii clysterem admiserim. Prima nox fuit pacatissima et serenissima, etiam altera bona, sed alvus sicca et ventriculus debilitatus. Tertia cum nocte solita sollicitatio rediit. Volebant Angli ut continuis noctibus eo clystere uterer, id non ausi. Non quod caput ullo modo adfectum aut sopor aliquis exortus fuerit, sed ob vitiatam digestionem. Mirum est ut subito secretio urinae ad $\frac{1}{3}$ diminuta, color redditus sit lotio, omnisque de vesica sensus quasi deletus, absque ulla adfectione nervosi systematis. De repetendo remedio, sed debiliori dosi cogito; si enim facere possem, ut ventriculum non laederet, non dubito quin vesicae sensibilitas tolli posset, in qua malum meum est.

Percivallius¹⁾ librum ad me misit, in quo miras laudes praedicat radicis Colombo in omnibus malis ventriculi, biliosis etiam potissimum. Laudat etiam Orchidis radicem.

Tu vero vale, vir praestantissime, meque ut soles ama. Bern.
12. Dec. 1773.

485.

(481).

Ad duas epistolas respondeo, Gesnere clarissime, satis aegre post noctem insomnem ob crudae urinae frequentem sollicitationem.

Non multa spero a Berkheyo.

1) Thomas Percival (1740—1804), englischer Arzt in Manchester. Gurlt-Hirsch IV, 530.

Ut Ehrhardo prodesse possim non quidem video. Senex a commerciis literariis seclusus vero conscribor. Agam tamen ut potero; impudentissima vero praefatione haec sibi mala conjecit.

Nescio quid de Scheuchzeri scriptis sit sperandum. Si nolent edere Vestri, continuo remittam, saltem sunt apud me. Unicum folium excuderunt supplementi Agrostographiae, hominum omnium lentissimi suorumque promissorum minime memores.

Miserunt Actorum Turinensium T. IV. et Vitmanni iter botanicum in Alpes Pistorienses, cum nonnullis Bellardi adnotationibus. Caldanus vero edidit Physiologiam.

Willichius obiit, cujus mortem doleo, etsi dudum perinde, ut alii amici, me neglexit. Muscos ab eo sperabam Hercynicos, nihil accepi. Nunc conor ex Spizbergia accipere aliquos. Ita miserae et plenae dolorum vitae taedia conor solari. Nihil profuit hactenus praeter clysteres narcoticos. Verum ii continuo ventriculum everunt, constipant, ructus faciunt nidorosos, et tamen eo me coget durissima necessitas, cum perpetua micturitio et agrypnia viribus humanis nequeunt tolerari.

Tu vero vale, Gesnere amicissime. Bern. die 15. Jan. 1774.

486.

(482).

Valetudo semper eadem est, et mihi videtur potius sollicitationum numerus augeri.

Nosti ducatum Hungaricum solvi pro singula Jacquiniorum decade. Pro Sylvatico gratias ago. Habuit iste homo editiones et opera auctorum quibus caremus.

Ea aetate, ea debili valetudine, temerarium foret novos suscipere labores. In Bibliotheca laboro neque eam deseram.

Royeni peto Te codicem manuscriptum dicere.

In Belgicis et Zeelandicis commentariis varia habentur ad fabricam vermium marinorum et icon Echitis. Miror illa commentaria a nemine verti, merentur tamen, certe pleraque.

Gesnerus, archiatri I. A. Gesneri¹⁾ filius, I. Matthiae ex fratre nepos, valde supplices ad me dedit literas, ut sibi officium aliquod prospicerem secretarii, praeceptoris. De Merschlinsiensi instituto verba facit, sed nulla mihi cum iis viris est familiaritas. Pater vir bonus fuit, olim per scripta de aquis vindicatis notus.

Cl. Thierry longam epistolam scripsit de Ludovici XV morbo et morte. Cum a. 1725 variolis, sed felicissime laborasset, de morbo non est cogitatum, et in ipsa eruptione venae sectio 4 vas-

1) Johann Albrecht Gesner (1694—1760), Leibarzt am Württembergischen Hofe. Gurlt-Hirsch II, 560.

colorum 16 ut intelligo unciarum facta est. Ante mortem et abdomen mire intremuit et fremuit. Cl. Bonnetus relationem misit de puella, quae serpentem videatur in intestinis alere, certo eximias deiecit . . . Lacertigeram feminam taeniam descripserunt.

Pajellum gratus remittam.

Saussurius ad imitationem Vestrarum scholarum proposuit in Genevenses scholas eas artes introducere, quae magis ad commoda vitae humanae promovenda faciunt. Nollem tamen linguam latinam deseri, unde schisma inter gentes eruditas, et vel intolerabile onus addiscendarum tot linguarum vel jactura eorum sequeretur, quae quaeque gens populari suo sermone consignasset.

Vale et <me> ut soles ama. Bern. die 25. Jan. 1774.

487.

(483).

Serius omnino respondeo ad Tuas honoratissimas die . . . (!) datas.

Morbus me subinde ad omnia officia humana inaptum reddit, cum potissimum somni defectus, deinde etiam clysteres opiatu huic malo oppositi vires mire frangant, ut etiam adeo cara mihi studia fere in taedium abierint. Non adeo multum dolores increverunt, sed sollicitatio ad mictum mihi videtur potius invalescere, maciem etiam viriumque debilitatem subrepentem percipio.

Quare in omnibus quae ago lentus sum et a me ipso totus alius. Opera mea incepta quoad id fieri poterit absolvam, caeterum nihil novi suscipiam et paulatim coepi . . . exstingui. Bibl. Chir. T. I. prodibit biennio post anatomicam incepta, sed per desiderium Orelliorum etc. prior illa absoluta erit. Quid Vestri cogitent, qui tamen multum nummorum in hoc opere jam impenderunt, ego non intelligo, non videntur etiam has nundinas adituri.

Nova vix habeo, et dudum non semel penuria laborum laboravi. Proxime Epistolarum ad me datarum T. III et IV prodibit.

Phippii relatio borealis itineris imprimitur. Muscos aliquos in Spizbergia legisse dicuntur, vix aliud quidquam, neque poterant sperare.

In australis itineris tabulis tamen Bankesium occupari lego.

Habesne, vir Ill., Knonis opus botanicum, et quid de eo sentis? pretium me deterret.

Iter in Montes glaciales Sabaudiae Boneretii non est ingratum lectori, etsi indocti hominis neque instrumentis usi ad altitudines etc.

Si breve ad tempus compendio Milleri aut certe titulo carere posses, vellem id mihi curare.

Vale et me ut soles ama. Die 12. Febr. 1774.

488.

(484).

Heri accepi, Gesnere praestantissime, tabulas aliquas et finem textus excusi Horti Vindobonensis Jacquini, quem Tibi curabo, quamprimum quaedam mea erunt absoluta, ne frustra faciam sumtus.

Valetudo mea vacillat, modo aliquanto melior, modo deterior. Princeps solatium est in laudano opiato addito clysteribus; una, cum alvus stipetur, aloen adhibeo. Lotium parcius fit et flavum, sed ventriculus aegre haec remedia fert. Quam primum desisto ab his praesidiis, statim succedunt agrypniae cum urina uberiore et pallida.

Millerum lubens viderem et per otium Knonis.

Nondum plenae sunt tabulae Jacquini.

Adventant mihi tabulae 20. 21. 22 Hillii.

Exemplar Florae Austriacae apud me est, lubenter id Vestris cederem, ut gratificer Jacquino, qui queritur se sumtubus succumbere.

Fungorum Schäfferi T. IV desiderarem.

Fabulosa sunt quae de cathedra botanica bonus Kochius dixit.

Rozier nobis misit suas obs. [nobis misit], aliqua intercurrunt botanica. Schmidelius promiserat, se curaturum, ut quas pulcherrimas tabulas Regias Buchodz cum Rumpfo confusas edidit, eas sensim Noribergae imprimat. Bonum det fatum.

Vale, vir Ill., et porro fave. Bern. 12. Mart. 1774.

489.

(485).

Accepi Pennanti fragmentum, quod non videtur acrem censuram mereri, tabulae mihi potius quam prioribus in particulis nitidiores fuisse. Aliquantum mitigarunt Socinianos errores Vestri. Intolerabilis erat locus das Blut Jesu Christi &c., quam in meram meditationem converterunt, sed animos Lavateri, Hessii, aliorum prae . . . doleo, etsi hactenus scandalum sit diminutum.

Valetudo mea utcumque se habet. Dum alternis noctibus clysterum admitto 30 gt. laudani impregnatum, satis recte urina se habet et somnus, vacillat autem appetitus et ciborum coctio; quamprimum ab opio abstineo, agrypnia et urinae cruditas praestant. Neque tamen licebit in perpetuo hoc auxilio uti.

Interim absolvi Bibl. utriusque T. I., Fabium, Epistolarum tomos II. IV. V. Nullum vero horum librorum hactenus munde excusum accepi, quare differo Jaquinium, ut unicus fiat fasciculus.

Pringlii orationem legi de aere factitio vario, quem video Anglos in classes disponere, Gallos, certe B . . . , in novum conjungere.

Commersonius obiit in insula Bourbon. Parisini sperant se ejus

immensam plantarum collectionem accepturos, sed ad quid hae collectiones, quarum nulla memoria usquam publicata!

Hillius novam editionem molitur Horti Malabarici, quaerit notas, addit nomina Linnaeana. Promittit tomum 24 magni operis sui.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. die 23. Mart. 1774.

490.

(486).

Ocyus respondeo ob Bernoullii commendationem. Ejus patrem olim commendaveram, ut ei cathedra offeratur, quam certe rustice negavit, nulla grati animi facta mentione. Nunc filius — non agitur de mathematicis, sed de triplici regno naturae et philosophia ad oeconomiam adplicanda. An hunc ad finem is juvenis commendari possit, aveo a Te rescire, ut porro agam cum Curlandis.

Millerum totum mutatum remittam cum Bibliotheca chirurgica et Jacquino. Pretium est pro quaque decuria ducatus Hungaricus.

Knonium si aliquando commodabis, gratum facies.

Valetudo mea semper eadem est, nimis magna urinae secretio, hinc nimia sollicitatio ad lotium reddendum. Caetera satis recta habeo, et urina sedimentum parere desiit, ne sit de ullo ulcere suspicio. Balneis multum tribui, nondum ausus sum tentare, etsi ver est peramoenum. Proxime senatum iterum adibo. Opii effectus nunc pene nullus est nec bonus nec malus; metuo autem ne aucta dosi mihi necessitatem perpetuam imponam, etsi amici Britanni quotidie me urgent, ut tuto praesidio utar. Et fatendum est, solum mihi in maxima calamitate fuisse solamini.

Folium excusatorium et epistolam Vestri conventus legi. Iste laedit in verbis. Non datur liber perfectus, sed potest dari liber symbolicis libris conformis. Non de interpretatione vocum sermo est, nullus certe interpretis salvatoris mortem meritoriam de S<anctis> S<criptis> eliminabit, sed de dogmate. Quid nostris sit consilii nondum novi. Tristissima interim haec omnia bonis cunctis acciderunt, a junioribus Tellerianis et Spaldingianis ut videtur oborta. Nolui quidquam de his invisis oris usquam tangere, ne vulnera Ecclesiae ipse aperiam.

Vale, vir ill., et me porro ama. Bern. die 30. Mart. 1774.

491.

(487).

Adferet Tibi, Gesnere Ill., Schulthessius noster Knonium et Millerum humaniter mihi communicatos, Scheuchzeri scripta posthuma omnia, et nonnulla nostra. Exemplum B. Ch. et amici typographi Vestri Tibi reddent. In mea curatione multa mutavi. Opiati clysteres cum ventriculo nocerent, diarrhoeas facerent, etsi urinae

cōpiam minuebant, aliam viam ingredi malui. Primae noctes enormes fuerunt, pervigiles, cum 20 et ultra mictionibus; ejus modi ea fuit in qua terrae motus vehementissimus die 18. 30' post mediam noctem perceptus est. Altera paulo melior, tertia (quinta post abstinentiam ab opiato clystere) satis bona. Urina non nimia copia, paulum dolens, turbida multo cum sedimento, quod cum opii usu fere nullum erat. Ventriculus et ciborum coctio continuo restituta. Utor cum Valeriana pilulis, vino Hispanico, nocte fere media ad aliquot uncias sumto. Nunc experior quid haec curatio possit.

Non satis novi quid nostri theologi de excusatione Vestrorum cogitent, quam legi. Vestrorum aliquos, H. etiam potissimum, manifeste Socinum sequi constat.

Novum iter philosophicum Angli meditantur, nescio in quas mundi partes. Phippianum prodibit, valde ut vereor sterile. Bankhesianae tamen tabulae sculpentur, sed opus erit enormis pretii. Commersoniana puto Parisiis, typographis deficientibus, sepelientur, quos nemo potest ad majora opera physica adsumere, poematibus et pulchris artibus totos addictos.

Tu vero vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 20. April. 1774.

492.

(487).

Valetudo mea fere eodem in statu est, tolerabilis, dum alternis noctibus opiato clystere utor, absque eo praesidio ob copiam urinae turbidae gravissima. Debilis etiam mihi videor.

Nummos Schulthessius nullos Tuo nomine numeravit, sed neque est necesse, cum aliquot tabulae Jacquini operis deficient.

Omnino verum terrae motum fuisse persuadeor, eumque praevalidum. Vicentinae societatis libellum averem legere.

De lite theologica nihil porro inaudi. Id in votis est, ut Vestri Berolinensium admiratores aut theologis muneribus valedicant, aut certe intra limites fidei se contineant. Nullam enim excusationem admittant quae de utilitate mortis Christi etc. dicantur in illo lexico.

Adventat mihi fasciculus cum tribus tomis Hilliani operis, quod nunc ad finem suum properat. Ipse ad me scripsit, vellet sua vendere, sed quis eo pretio ejus libros sibi comparaverit!

Inter libros Cappelerii erat ni fallor Matthaei Sylvatici antiquum opus, id si forte Tu emisti, quaeso mihi commenda, nunquam potui detegere. Absolutis quae Encyclopaediae destinavi, totum me nunc Bibliothecae trado.

Materia medica de la Steyrie(?) perampla a Gaubio edita, nullius est momenti, sed meliora spero a Spielmanniana, quam mecum communicavit.

Estne forte Tiguri exemplum Horti Romani? Mereturne emi satis pretiosum opus?

Schreberus misit aliqua; monuit, ut floram scriberem Germaniae, destinabam olim, sed sepulchri immemor cur struam domos? solo enim fere opii tristi beneficio aliqua quiete gaudeo, eam redimo maligna ciborum coctione, diarrhoea, nonnunquam nausea. Et tamen nullo hactenus modo somnum potui mihi reddere ob perpetuitatem stimuli, et si ab opio abstinuerim, ob abundantiam lotii. Balnea nunc proxime experior, quae aliquando profuerunt. Obambulo tamen et ad publica negotia redii, quae certe sunt plurima et gravissima.

Vale, vir Ill., et me porro ut soles ama. Bern. 3. Maj. 1774.

493.

(488).

Accepi fasciculum et curo ut Cl. Schulthessius pro altero exemplo nummos numeret, pro altero gratum me adgnosco. Ducatos mittam.

Venae sectio tempore eruptionis, equidem a medicis ignoratae ob priores variolas, mala fuit et una vice 12 emiserunt uncias, ita post eruptionem vehementissimis pellealibus(?), Eau de l... etc. fatum principis praecipitarunt.

De puella serpentem celante iterum scripsit Bonnetus. Non vidi, erit forte coagulum, erit portio tunicae villosae.

Valde alios bono Saussurio audio contradicere.

Valetudo mea mala fuit post frigus quod 5. ingruit. Nunc puto iterum meliorem fieri. Opii incertus effectus rationes meas valde turbat. Ab eadem dosi intra 4 dies enormem effectum percepi, a qua nullum senseram, stuporem integri diei, urina acri et conversa, sed altero die uberius rediit, res magis ad diabetem quam ad stranguriam spectare videtur, dolor omnis abest et ad summum aliqua titillatio.

Quatuor tomos Hillii legi, habet tamen multas variorum generum novas icones cum charactera, Alpinas, puto a me acceptas non bene delineat, misit, quem nondum accepi, tomum 24. Verum mea mala valetudo valde frangit meam visendi cupidinem.

Aliqua nova accepi, a Hubero, haec bona, Schrebero etc.

Valde aveo rescire, ubi sit Kittius, et qua ratione tuto possim fasciculos ei mittere muscorum pro principe Durlacensi, agglutinandos. Nigram et albam avenam ad comparandum si posses mihi

curare, gratum faceres, plantam integram et semen. Nondum in arenis mihi consto.

Triticum barbarum mihi feliciter provenit hieme et aestate, altissimum et laetissimum.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 11. Jun. 1774.

494.

(489).

Dabit ducatos Cl. Schulthessius, nihil urget.

Misi fasciculum muscorum ad Kittium Tuo ill. nomini inscriptum.

Cerealia, sed cum spicis averem habere, sola vero cerealia quae gramina.

Valetudo tamen potius minus mala est, videor tamen mihi virium minus habere quam aetas permetteret.

Ex Anglia de Bruceo inaudivi, ex Aethiopia reduce. Gens supra fidem barbara. Vivorum et spirantium v. g. bovim cruentam carnem devorant, et ex ligato animali, dum prandent, musculos jubent excidi etc. Plantarum semina aliqua coalescunt in horto, negavit Solander multa habere memorabilia.

Dickius aliquam Ranunculoidem reperit, novam civem.

Libellum Tuum proxime remittam, per occasionem aliquam.

Appendices Scheuchzerianae tandem excusae sunt. Nunc videndum ut in Bibliotheca sint progressuri. Chirurgicae quidem Tomus II hoc anno absolvetur. Immensus mihi labor impendit mutandae domus¹⁾, librorum transferendorum.

Vale, vir Ill., et nos ut soles ama. Bern. die 17. Jul. 1774.

495.

(490).

Importunitatem quaeso bonus excusa, vir praestantissime.

Cum de ligno in praealto monte Rhaetico scribendum sit, video nunc me quidem memoria retinuisse Stellam(?) esse montem: verum non certum me esse. Fac ergo ut per primum curram verum nomen ejus montis resciscam.

Valetudo aliquanto melior est, et rariores sollicitationes ad urinam; videtur vesica longo usu opii hactenus callum quasi contrahere, doloris dudum nihil percepi, sedimentum etiam in lotio vix ullum est. Praeter clysteres opiatos utor intus corticis pro infusione.

Nuper cor humanum vidi feminae post longos languores mortuae. M... serosum, quasi plenum scrobibus et foveis nullo fibrarum ductu superstite, pericardio sex lineis crasso.

1) Er zog in ein Haus an der Inselgasse, neben dem heutigen Hôtel Bellevue. Hirzel I, 498.

Consensimus ut Nellenbergenses commercio excluderentur, cum tamen malum nos non habeamus pro contagioso. Inflammatio est cordis ipsius, pene subito funesta, satis frequens per aestuosos nimis menses. Sed nolumus Vestrorum voluntati deesse, nihil enim nocet nimia, si nimia est, cura. In Sabaudia proxime Genevam, in comitatu Burgundiae prope Pontarlier malum peripneumonicum adhuc grassatur. Galli nostra consilia secuti didicerunt armenta infecta mactare; id damnum utcunque ex publico compensant, stipe toti pago imperata.

Mature passim dysenteria proripitur.

Valde placet Ab. Rozier tr. de Colsant et de parando ejus oleo. Mirifica systemata Buffonii circa regnum minerale audio prodiisse.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. die 22. Jul. 1774.

496.

(491).

Ecce, Gesnere celeberrime, novum volumen nostrorum Commentariorum Gottingensium. De Agrostographia Vestros mirificos homines urgebo, neque ego exemplum obtinere potui.

Ehrhardus ambobus deberet manibus quamcumque conditionem amplecti. Scripsi ejus gratia ad D. Klärich, parum vero boni exspecto, cum obstetricem hominem Gottingae habeamus.

Felice opus suum negligit, rure vivit, laboriosa omnia tradidit cuidam D., opus ipsum ad finem properat.

Spes est post pacem nuperam Gmelinum patriae iri redditum. Id infelicissimum exstat, quod Russi non sunt valde sollicite pro eo laboraturi, quibus valedixerit. Memini etiam non neminem in Russia ei non favere.

Mediis sum in transferendorum librorum laboribus. Spero vero iis tricis superatis laxius omnia melioreque in ordine fere disposita. Letsonium addo fasciculo.

Reussium exspecto, tum Hortum Romanum, quem bibliopola Romanus pro meis Elementis mittit, misit etiam Bandinii catalogum librorum Mediceorum, quo accepto gaudeo, multum inde accidet ad meas Bibliothecas decoris.

Valetudo non mala est, incommodus tamen effectus opiatum laudani, quod aliquot horarum faciat agrypniam. Caeterum sic satis dormio, paulo minus sollicitor, bene appeto, urina melior est, videor etiam mihi viribus increvisse.

Proponunt nostri typographi recudere integra majora Elementa, sed omissis citationibus, praeberent occasionem corrigendorum non-

nullorum et emendandorum. Quid Tibi de eo consilio videtur? Vellent in minorem molem redigere.

Misit mihi D. Pennant iter suum ad insulas Hebrides plenum re naturali. Id jam duplex possideo. Si Vestrorum aliquis aut Societas posset uti, offerrem. Pretium quo constat est 25 L. franc. Adveniet post aliquot hebdomadas.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. die 3. Sept. 1774.
Letsomium nolim remittas, quem jam possideo.

497.

(492).

Ita est, ill. Gesnere, minus incommode valeo, etsi frigus me hactenus mordet. In mutandis aedibus non gratum certe laborem pono.

Accepi Hortum Romanum, absurdum opus, in quo cum paucis raris nonnullis plantis pleraeque vulgatissimae depinguntur: cum tamen 10 ducatis Ungaricis ematur.

Ille Comes de S. Aldegonde mecum fuit, etiam mihi parum seriae mentis indicia dedit, ardens atheismi apostolus.

Ehrhardo tamen spes aliqua Gottingae adfulget, si sua petita novit moderare.

Ad opus physiologicum ineunte a. 1775 si Deo placet me accingam. Mereor spe multa me emendaturum.

Mittam Pennantum quando adveniet. Librae sunt 10 baz.

Exemplum Jacquinianae Florae Austriacae apud me jacet, et Cl. viri mandata adtulit. Miror Störkium ad humanissimas literas missamque meam Bibliothecam non respondere. Gratum esset si Schinzius causam silentii expiscaretur. Fasciculus Suecicus tandem advenit. Nihil valde botanici praeter icones aliquas in commentariis Academicis.

Habesne 4. T. Comm. Taurinensium? Si non habes, mihi est in duplo, quem lubenter mittam, non alter melius eo exemplo usurus.

Pl. . . . junioris codices manuscriptos ad <me> miserunt, industrii hominis, sed hypochondriaci, sed moles nimia est, neque ego possum excerptare, quae quidem multa bona habet.

Vidistini Aubletium? exemplum exspecto. Negant bonas icones dedisse, opus tamen esse Jussievi, ut bona de eo spes sit.

Ante sex septimanas, minimum, misi fasciculum muscorum, quem Kittius debebat munda charta adglutinare pro principe Durlacensi. Tibi inscriptus erat. An non accepisti, an exspectas Kittii reditum?

Vale, vir Ill., et me porro ama. Bern. die 21. Sept. 1774.

498.

(493).

De Ehrhardo spero. Causam ejus suscipit optimus D. Klärich. Verum si nimium petit, nihil obtinebit.

Mihi statuit de sua Flora Jacquinus; si exemplar Tibi placet, penes me est, sumtus forte in transferendo fasciculo compendi facies.

Mittam Taurinenses. Nihil adinet de pretio loqui, cum mihi dono sit missum.

De fasciculo ad Kittium misso sollicitus sum.

Utinam multis porro curis Academiae Vestrae omnibusque bonis praesidio supervivas!

Commode ego habueram, nunc aliquanto minus bene. Opium morbum vesicae valde mitigavit, nec tamen nisi paucas uncias lotii vesica tolerat. Verum ventriculo ante aliquot dies valde molestum fuit, ut crudos cibos omnes revomuerim, quare per aliquot dies malui abstinere, deinde praeter vulgarem expectationem agrypniam fecit, subinde valde incommodam semper aliquam, cum summa tranquillitate.

Heri obiit tribunus Steigerus multis annis consocius ob imaginarium vitium haemorrhoidale. Nunquam nisi cum faecibus mingebat, subinde magnos patiebatur dolores, intercedebant lucida integrorum annorum intervalla, ut orthostaden circumambularet. Denique diabete et asitia confectus, subnata parotide obiit. Incisus est, repertus calculus quem vidi, enormi mole, pondere 9 unc., perfecte ovalis, durus et gravis, . . . cornulo simillimus, obductus calcaria imperfecta, cavernosa, cujus foliola videres per medios gradus cum foliolis . . . conjungi.

Aubletium¹⁾ exspecto, bonus erit liber, etsi icones rudes sunt. Hortum Romanum puto me scripsisse esse inertissimum opus omni modo, selectio pessima, absurde profusis in leves varietates iconibus, sermone nullius momenti.

Denique in novam domum immigravi, in qua salubrius aliquanto spero me habiturum, libri etiam laxius et meliore ordine sunt dispositi.

Sulzerus laetissimum mihi nuntium scripsit, se multo melius valere, opus suum magnum absolvisse. Mekelius vero obiit post taediosas cum successore suo, ingratisimo mortali, lites. Hic certe ultimus pene est incisorum Germaniae si a Neubauero recesseris.

In Triticis delineandis, extricandis versor. Non possum aesti-

1) Fusée Aublet, Histoire des plantes de la Guyane française etc. Paris 1774. GGA 1776, 281 f.

vum, hibernum, turgidum nisi pro varietatibus habere, aristae min. et hirsutius, per infinitos gradus accedunt et decedunt.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. die 15. Oct. 1774.

499.

(494).

Accepi, Gesnere praestantissime, plantas Kittianas, pulchre agglutinatas, eas dabo ad principem Durl<acensem> adjectis nonnullis Tibi destinatis et libro pro bibliopolis. Acceptasse Te novos muscos, quos de meis ad Kittium misi, puto. Tibi vero jussi tradi, quod Kittius absit. Princeps subinde me urget.

Ridicula historia est Aldegondi, mihi sua ardente philosophia molestus fuit.

Addam Jacquini Floram, quam non dubito quin J. venditam velit. Puto deficere tabulam, de qua monebo. Oblitus sum num 4 ducatos pro Jacquinio miseris, velis precor docere.

In novis aedibus aliquanto laxius et salubrius habito. Valetudo tamen potius minus bona est facta a primo frigore.

De Triticis heri commentarium cum iconibus Gottingam misi¹⁾, satis placeret hirsutum Triticum separare a glabro et Tuo — spicis ramosis varietas esset, utique hirsuti, quod turgidum Linnaeo. Verum 1. per succedentes gradus hirsutus glabro totus obrepit, ut ostendi, 2. datur Triticum spica ramosa glabrum novum. Quare malui conjuncta relinqui. Ipsa Zea non facillime a Tritico separatur, neque fere nisi per deciduum semen, etsi abunde diversa est.

Legi nunc iter Hebridicum. Descriptio insulae basalticae Staffa utique legi meretur, aliquae intersparsae sunt icones plantarum, nimis tamen datur pictoriis deliciis. Mittam aut nunc si velis aut novum quod adfert exemplar D. Valtravers expectaturus.

Alius calculosus nuper obiit; is morbus satis rarus erat, videtur augeri et increbrescere.

D. Roi V. D. M. Neocastrensibus,, scripsit ad me, die 10. sub nocte terrae motum classica phaenomena excitare non potuisse, post naturam ad officium rediisse, videtur quotidie phaenomena electrica repetere. Magna ei est hypothesis de utilitate terrae motuum, qui atmosphaericae electricae materiae justam portionem reddant. Si proxima aestate velletis mecum Avenas communicare, gratum faceretis, dabo eas et Hordeum atque Secale cum iconibus.

Vale, vir ill., et me porro ama. Bernae 5. Nov. 1774.

1) Genera species et varietates Cerealium. Nov. Comm. Gott. Bd. V. 1774.

500.

(495).

Misi heri, Gesnere clarissime, exemplum Florae Austriacae, id si parum plenum est, ut vereor, complebo. Vides Tibi a Jacquino fuisse destinatum.

Adjeci muscos pro Kittio; eos velim cum iis quos misi conferre, supplere, si aliqua adjicienda misi, omnia ad me remittere, qui curabo ut labor ei compensatur. Meos muscos Tibi aut Kittio jussi a S... reddi, ubi ob Kittii absentiam haeserunt.

Adjeci volumen Taurinensium Tibi oblatum, et Rammelti librum¹⁾, quem quaeso mitte Orellio et sociis.

Papacini insigne opus¹⁾ accepi systematis physico-mathematici, Italico sermone scripti, tomos nempe duos priores. Obiter cum inspexissem, plurima bona mihi visum est continere.

Valetudo mea non melior est, frigus humidum urinam auget, quam solum opium compescit, ut pro tribus libris concessus datur(?), aucta non dubie perspiratione.

De Physiologia cum nostris typographis transegi, et proxime ad id opus accedam. Placet quod multa liceat emendare et supplere. Non desinam quin absolutum sit. Ordo nunc multo erit perfectior et nihil repetitum.

Ellisii historiam Coffaeae²⁾ accepi, cum icone non valde botanica, sed historicae bonae sunt notae.

Reussius caecus est Linnaei adsecla, id displicet, quod characteres vitiosissimi ab his juvenibus transscribuntur pro veris. Si unquam placeret Tibi juliferas arbores repetere, characteres persequi, videres quam nulli sunt characteres Linnaei, ut in una vulgarium plantarum classe me contineam.

Vale, vir Cl., et me porro ama. Bern. die 12. Nov. 1774.

501.

(496).

Scriptis denique Kittius, adeo contortiplicate, ut quid velit vix videam. Quare rogatum Te volo, Gesnere optime, ut urgeas hominem. Volet meos muscos quotquot non sunt inter suos, ei ideo remissos, adglutinare cum meis nominibus, meo periculo. Curavi ut sumtus et labor ei liberaliter remunerentur, sed stude, quaeso, ut propediem hoc labore defungatur, quotidie enim fere a Principe urgeor.

1) Alessandro Vittorio Papacino de Antoni (1714—1786), *Instituzioni fisico-mechaniche etc.* Torino 1773—74. Poggendorff I, 51.

2) John Ellis (1710?—1776), die Beschreibung des Kaffeebaumes erschien 1774 in den *Philosophical Transactions*. *Dict. Nat. Biogr.* XVII, 286.

Jacquino 10 die schedulam, iterumque Tuam(?), cum meis nummis misi, curabo porro si quid prodibit.

Ergo nolim Tibi Pennantiano itinere molestus esse.

De Gmelino doleo. Aegerrime officia mea cuique denego. Et tamen difficile est consilia dare efficacia non desiderantibus. Porro in Ehrhardi loco laboravi. Quare nisi a Cl. Brandes¹⁾ responsorias habeo, aliquam spem facientes, non ausim, porro me in messem inmiscere, cui Hannoverani nolunt me inmistum. Omnia cum morte Munchhusii mutata sunt.

Postquam me nonnullis expediero ad Bibliothecam Chirurgicam spectantibus, transibo ad Physiologiam. Fateor tamen me vereri, ne nimium onerum mihi imponam.

Valetudinem meam frigus nuperum vehementer laesit. Arsi calidiorem fornacem, quae unica spes est. Nunc iterum ad mediocritatem reliquam malum rediit, displicet tamen vehementer necessitas ista perpetua opii, etsi minus minusque me laedit, dum pinguis cibis abstinenceam, qui certe putrescunt.

Nundinae praeter aliqua itineraria mihi steriles videntur. Botanici in Linnaeo vertendo, commentando, transvestiendo perpetuo occupantur.

Egregium compendium Institut. physico-mathematicarum Pacini accepi. Viventius suum de cicuta librum²⁾ auctum ad me misit, magnis cum elogiis, quae nondum deferrebunt, dum Störkius archiatri munere fungitur.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. die 30. Nov. 1774.

502.

(497).

Missum est ad me utique acre et acerbum scriptum contra Lavaterum; id si fuerit Hottingeri³⁾, utique ut a collega nullo modo probari potest. Legi et reponionem, debilem eam. Non potest utique penitus excusari Lavaterus quod miraculis, vi evidenti parum(?) in tollendis malis corporis, nimia tribuerit, nimia etiam physiognomiae, et nescio quo ducentia. Si enim in ossibus mei cranii superbia inscripta est, quid faciam ne sim superbus. Eadem est opinio, quae Br... de suturis cranii. Nunquam vero laudavero civem qui civem, collegam qui collegam deprimit, cujus existimatio pars sit felicitatis publicae, hoc summum meum officium.

1) Georg Brandes (1709–1791), seit 1746 geh. Kanzleisecretär in Hannover.

2) J. Viventzi, de cicuta commentarium, erschien zuerst in Neapel 1767. BB II, 583.

3) Vergl. GGA 1776, 823.

Accepi Buffoni s. potius D. de Gueneau avium Tomum III. Videntur volumina numerosa exspectanda, cum multae classes avium nondum tactae sint. Columbae tamen sunt Buffoni. Misit ad me F. Fontana (sed nondum accepi) opus suum physiologicum, cujus plures partes erunt. Queritur de Rofredo qui suas sibi de anguillulis, tritici etc. observationes subripuerit, quas ipse Fontana tamen dudum etiam iconibus secum habuerit declaratas.

Valetudo semper infirma. Saepissime equidem malorum profunda maestitia animos invadit, parum vero dormio, parum edo, vix digero et languo in sopore gravi, non vitio cerebri, sed debilitatis meae. Cerebrum enim solum hactenus resistit et ad labores sic satis sufficit. Opium quod praesens mihi praestabat auxilium nunc vix ullum praestat, neque tamen audeo dimittere, diminui tamen.

Vale, amicissime Gesnere, et me ama.

Quando fragmenta Physiognomiae Lavateri edita fuerint, possesne curare ut pro brevi tempore exemplum mihi concederetur? Hic nullum est.

Bernae 7. Jan. 1775.

503.

(498).

Kittius muscos remisit — nimis parum: mei enim fere omnes adglutinati sunt, et penus exhausta, quam amicis servabam. Donum a Principe accipiet.

Gmelinus luculentis conditionibus Gottingam vocatus est¹⁾, demum et Ehrhardus²⁾.

A Störkio aliqua exspecto, itaque puto eum virum mea accepisse. Frigus etiam hic acre fuit et mihi valde hostile; paulatim enim omnia in deterius sunt relapsa, ut etiam opii exiguus fuerit effectus.

Nunc podagra supervenit, quae urinae vitium levavit. Haeret tamen lateri fatale telum, et nunc paene a 2 annis urina constanter turbida est neque potuit ulla mediocris copia retineri.

Accepi Pennanti schedas, quas Tibi debeo.

Libros proxime ex Anglia exspecto, delector vero itineribus Pallasii et Gmelini. Patere quaeso ut a Te discam, num quisquam Tibi notus sit, qui Gmelini itinera (nupera) possideat. Vellem ab eo rescire, num vere non prodierit tomus II. Ita bibliopola ad-

1) Joh. Friedr. Gmelin (1748—1804) wurde 1775 als prof. phil. ord. und med. extraord. nach Göttingen berufen. Pütter II, 146.

2) Friedrich Ehrhart (1742—1795) bekam eine Pension vom König von England. S. Zimmermann an Haller. Ischer 1911, 145.

firmat, qui tertium volumen misit, res vero mihi videtur improbabilis, tertium tomum ante secundum prodiisse.

In meis operibus pergo. Bibliotheca chirurgica propediem absoluta erit, quae in indice haeret. His diebus adtulerunt vivam magnam avem, dicebant esse *lammergeyer*, et habet certe barbam nigram, stupidum quoddam rostrum longe rectum, sola apice curvum, linguam fere exsectam et os opertum sed omnino non nudo est collo, imo vero f... , magnis plumis copiosissime vestitur. Oculorum ambitus ruberrimus, alae extensae 9'. Supra Interlaken ictu stlopi non quidem valde laesa, tamen debilitata est, dum haedulum lacerabat. Non ergo esset vultur. Ab aquila etiam rostro dissidet.

Vale, vir Ill., et me porro ama. Bern. 18. Jan. 1775.

504.

(499).

Mirror Gmelini iter apud Vos non reperiri. Non solum historiae naturalis cultoribus utilissimum est, plenum descriptionibus plantarum et animalium novorum aut male notorum, sed historiam etiam recentissimam Persiae solum quantum novi continet. Bibliopola meus perstricte negat tomum II prodiisse, sed puto negligentiam suam velle tegere. Ipse Gmelinum vulturem barbatum describit, sed capite calvo, quod nostro plumosum est.

Valetudo mea semper inconstans et infirma est. Lotium potius minus molestum est, sed ventriculus opium aegerrime patitur, nauseam ab ejus usu proripit, subinde vomit, rarissime recte digerit, etiam quando appetit. Mirror Anglos, qui adeo frequenter opio utuntur, hoc incommodum ex ejus usu proveniens non adnotasse, neque auxilium aliquod invenisse. Et tamen quamprimum ab opio cesso, in sollicitationes frequentissimas relabor, quae vitam reddunt miserabilem.

Gmelini itinera cum fructu lecto, Phippii fere absque ulla utilitate, Pallasii habeo secundum tomum, Pennanti iter Serbicum ornatus, Targionii tria nova volumina, quae omnia grata lectu neque inutilia sunt. In indice Bibliothecae Chirurgicae lentissime proceditur et perinde in Bibliotheca Anatomica, cujus nunc 18 folia excusa sunt.

Jacquini novus tomus nondum advenit, sed adveniet. Puto opus intercepturum, cujus utique pretium nimium est, cum praeterea vulgares passim plantas depingat. Ecce schedulam de Flora Danica, quae reviviscit. Noli continuo exemplum quaerere, si porro duo accipiam, alterum Tibi destinavi; vereor quidem ut accipiam. Mullerus ad hoc opus ipso Oedero multo aptior est, qui nunc gubernator est Oldenburgi et Delmenhorsti. Pallasii iter plu-

rimum in fodinis versatur, non neglectis tamen plantis et animalibus.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 1. Febr. 1775.

505. (500).

Paucis Te volo, praestantissime Gesnere. Misisse me nempe secundum tomum Florae Austriacae Jacquini. Adjecit vir optimus tabulas aliquas suae Florae Tibi destinatas aut Saussurio, utri non satis novi. Scripseras Te de fungis Schaefferi deque tertio tomo curaturum. Potuisset pretium de Jacquini Flora deduci.

Accepi pulchrum donum librarium Lugduno, libros veteres rarissimos, libros novos, Commentariorum chirurgicorum T. V., Dujardini historiam Chirurgiae¹⁾, Venelli puto historiam carbonum fossilium jussu statuum Languedociae editam, alios. Miserunt etiam tabulas omnes Bellevali²⁾, vellent ut sermonem adderem. Nescio num possim, intercedent enim ex Languedocia et Pyrenaeis variae, forte non satis prospectae.

Vale et me ut soles ama. Bern. 4. Febr. 1775.

506. (501).

Ridiculum certe videtur tomum [II.] <III.> Gmelini ante [tertium] <secundum> prodiisse, cum praeterea is secundus tomus in III. citatur.

Arduini Saggio fisico³⁾ si legendum posses concedere, gratum faceres.

Florenum Tibi debeo, vir Ill., pro Forti. Cum Jacquini Flora 84 baz. redimenda fuerit, et quatuor fuerint exempla, pretium erit bz. 21. Nummos aut mihi potes mittere, aut ipsi.

Iter Serbicum jam possideo, lubenter Tibi offero, si Tibi potest usui esse, pertinet potissimum ad oryctologiam et structuram telluris. Multa bona de optimo Pfenningero narrata fuerunt, ut de obitu boni viri doleam. Utique tertiam centuriam Schäfferianorum fungorum possideo et quarta egeo.

Duos tomos botanicae partis systematis Houtteyni accepi. Palmas et arbores Indicas potissimum, cum iconibus undique collectis; nihil videtur proprii habere.

1) Dujardin (1738—1773), französischer Chirurg. Histoire de la Chirurgie depuis son origine jusqu'à nos jours. Bd. 1, 1774. Der 2. und 3. Band von Peyrilhe erschienen 1780. Gurlt-Hirsch II, 233.

2) Pierre Richer de Belleval (1558—1623), berühmter Botaniker in Montpellier. Gurlt-Hirsch I, 382.

3) Giov. Arduini, Saggio fisico mineralogico di lithogonia ed orogrosia. GGA 1775, 964.

Le Franki historia naturalis¹⁾ in meras nugas et historiam rerum Hollandicarum degeneravit. Mirum est ejusmodi hominem in celeberrima academia locum invenisse. Gottingae primum professorem quaerunt praeter Ehrhardum et Gmelinum. Difficile fuerit, celebrem virum detegere, qui sedem velit mutare.

His diebus absolutus erit Tomus I. mei opusculi adversus paganos et principem Voltarium²⁾. Nova Elementa prodibunt si vixero a. 1776 et 1777, in iis nunc emendandis versor.

Pennantius novum iter promittit praeter Serbicum sed diversum. Nimis indulget ornamentis et iis quae vulgo possunt placere, et historiam naturalem negligit. Nuper ad me scripsit, queritur de Germanorum judiciis iniquioribus.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. die 22. Febr. 1775.

507.

(502).

Arduini opuscula his diebus remitto cum plurima gratiarum actione. Videntur eorum aliqua ad Acta fisico-critica pertinere, alia ad aliud diarium. Addam Bibliothecae chirurgicae cujus tomum II. quotidie exspecto.

Utique Jacquinus poterit nonnullis iconibus abstinuisse, puto dudum habuisse paratas nec voluisse inutilibus onerare.

Opusculum meum etiam his diebus erat absolutum, idem addam.

Similia Ortliebuis ad nos scripsit, respondimus mitteret nobis aliquot plantas suae novae vitis. Videtur incredibilia sibi contraria promittere, praecocem vitem, tamen egregium et copiosum vinum daturum etc.

Molesta valde fuit valetudo mea his diebus, et cum cogerer ob . . . rationem . . . senatus per urbem circumire, cum aliquo terrore enormem virium jacturam percepi, ut vix repere possem. Hodie aliquanto mitius habeo. Nescio quid latentis febriculae versus 5. horam accidentis subripere videtur, certe eo tempore manus frigent, sudorque supervenit, post aliquot horas mitia omnia. Iis ut merentur invigilabo.

Bonum opus est Venelli de lithantracibus, quorum usum commendat; ustionem, qua coaks paratur, ut supervacua deridet.

Jussu senatus sanitatis machinam Belgicam ad clysteres tabacarios subjiciendos accersi a fabro certe factam. Puto aliquot exempla per civitates ire distributum cum enodatione.

Itaque vale et me ut soles ama. Bern. die 24. Mart. 1775.

1) I. le Frank van Berkhey, *Naturlyke historie van Holland*, Amsterdam 1769 ff. BB II, 496.

2) *Briefe zur Verteidigung der Offenbarung*, Bd. I, Bern 1775.

508.

(503).

Insanum est pretium Schaefferi; nisi Tu indicares, candidissime amicorum, suspicarer errorem subesse, et alia forte exempla mihi imputari. Nunc recte est quod nummi sunt redditi, sed ab eo homine erit cavendum.

Gmelinus libellum misit: vellem monere ut potius propria aliqua scribat etsi minora. Promotus erat die 14 omnia bona sperans. Gratias ago ob egregios primos libros.

Ex Anglia advenit splendidissimum opus, anatome uteri gravidi, donum auctoris Hunteri¹⁾, nihil pulchrius sculptum est unquam, neque tamen nummi inutiliter profusi.

Saboureux suam collectionem rusticorum latinorum absolvit²⁾. Egregium vero opus est itinerum mineralogicorum Jersii, quod Lugduno miserunt. Morbus ille truculentus bovum, qui in Gallia saevit, eadem est nostrae peripneumoniae putridae, ut demum video ex consilio medicorum Monspeliensium. Icti in nostra consilia transierunt Galli finitimi, apud quos lues in Burgundia superest; aliqua superest, non saeva tamen. Nos post illas caedes liberi sumus salvique.

Heri 93 membra nova senatus CC electa fuerunt, inter eos filius meus votis omnibus. Engelius, ut periclitanti filio electionem redderet faciliorem, resignaverat. A centum retro annis nunquam tot membris magistratum auctum novi.

Valetudo mea nunc maxime multum passa est. Diarrhoeam, syncopes initia, spirituum dejectionem patior summam, sed nolo Te meis obtundere querelis. Vale, vir amplissime, et me porro ama. Bern. die 15. April. 1775.

509.

(504).

Amica Tua vota gratus accipio. Filium nosti egregio munere inde auctum esse.

Valetudinem meam nuper interrupit febris ut videtur tertiana, cujus reditum hodie exspecto, caeterum ab urinae damno vexor.

Bene est et justum, pretium Schaefferi Tibi esse repensum, sed insanit homo. Ne in ipsa Anglia ejusmodi liber unquam eo pretio veniit.

Auctorum rei rusticae Gallice versorum volumina sex addidit Cl. Saboureux cum nonnullis notulis.

1) William Hunter, Anatomia uteri humani gravidi tabulis illustrata. Birmingham 1774.

2) Saboureux de la Bonnetrie, Traduction d'anciens ouvrages latins relatifs à l'agriculture et la médecine vétérinaire. Paris 1771 ff. BB II, 710.

Velim doceas me verum nec nimium pretium Tomi II. Topographiae Herrlibergerianae¹⁾.

Hunterus magnificum donum misit, historiam uteri gravidi cum pulcherrimis, valde pictoriis tabulis. Video nunc contra quem est creditum Cl. virum communicationem ab utero in placentam et per arterias communicantes et per venas docere et demonstrare. Albinianam vesiculam umbilicalem ita depinxit, ut perexiguæ allantoidis omnino similis sit.

Artifex quidam ex Saxonia mihi aliqua inventa obtulit, inter ea artificium ad exstinguendum incendium utile et artem metallum penetrantibus et perpetuis tingendi coloribus.

In optimi Dickii cadavere mira reperta est sanguinis universi coagulatio, ut unus polypus a capite ad pedes in arteriis continuaretur. Mirificas post anxietates et plurimas narium haemorrhagias exstinctus est. Relinquit viduam, puellas tres et bibliothecam aliquam atque hortos siccos botanicos.

Hodie iterum animus valde premitur, et certe perpetuitas mali, frequentia insomnia, inutilitas medicamentorum paulatim contra constantiam meam praevalent, et spiritus tot olim in malis constantes frangunt. Tu vero vale, amice illustrissime, et me porro ama. Bern. die 3. Maj. 1775.

510.

(505).

Horridam hebdomadem vixi, Gesnere optime.

Tissotus suaserat lac asininum, ego pene incautus eo veni. Continuo urinae copiam immensam auxit. Altero die melancholiae accessus gravissimus sumtus est, post eum febris, quae altero die repetiit. Post eam febrem inquietudo mirifica, ut nullo in situ me continere possem, mirabile symptoma, quod visum est ad adfectionem . . . magnorum truncorum nervorum spectare. Tunc integro die melancholia, ad desperationem usque. Nunc haec omnia hactenus peracta sunt et lectulum deserui.

Pro libro Störkii gratias ago, fac quaeso sciat, neque Stodola neque Kollin ad me pervenisse.

Lavateri Socini versionem summo cum dolore vidi, de Physiognomiis innoxii subrisi, male vero de collegis scribere non pene probavi.

Fac sciat venerabilis senex, me et ipsum non adeo annis gravem quam malis fractum quantum potui omnibus negotiis vale-

1) David Herrliberger (1697—1777), der Kupferstecher und Kunsthändler: Helvetische Topographie. 3 Bde. m. 323 Kupfern. Zürich 1754—1773. — Neue Topographie helvetischer Gebirge, Alpen, Gletscher etc. Zürich 1774. 1. Heft.

dixisse solo auxilio societatis excepto. Fractae certe sunt vires, neque mali finem video, quod ab opio unice suspenditur.

Audacissimus mortalium Voltarius certe vel insolentia sua me commovit. In secundo sum volumine, sed parum procedo, malis impeditus. Buffonii singulares iterum conjecturas accepi et Werlhofi voluminum novam editionem, videoque divitem satis segetem in catalogo nundinali, sed incipio etiam a libris me detorquere, qui videor mihi in praesente morte plus habere necessarii laboris.

Bibliotheca anatomica ad 1770 perfecta, ad a. 1760 etiam plena et emendata est, proximus erit labor ut ad 1770 perficiam; solito suo lentore interim Vestri procedunt et taedet me eos urgere.

Vale, vir carissime, et me porro ama. Bernae die 27. Maj. 1775.

511.

(506).

Aliquantum tamen morbus remisit, urinae potissimum sollicitatio, somnum etiam et ciborum appetitum hactenus recuperavi.

Grata sunt quae de Ill. Stoerkio narras et credo sincera: certe in libello quem misit non cum Swietenianis in physiologicis ad praelectiones commendatur.

De Lavatero aliquando monuero, nummos enim expendere non possum.

Sic et ego Cramerum¹⁾ vidi, splendida animalcula admiror, parum tamen in ejus modi operibus verae est utilitatis.

Gmelinus diligentiam auditorum laudat. Quaerunt tamen, neque absque sollicitudine, celebriorem aliquem professorem, cui primarium in facultate locum dent. Caeterum Academia satis frequens est.

Rastius optimus magnam cistam novis libris plenam ad me misit, qui in Bibliotheca utiles erunt. Zimmermannus Lavateri Physiognomiam mittit, magnus ejus operis promotor, qui ad 10,000 imp. libro curavit. Video aut ipsum aut pro eo amicum aliquem respondisse. Optime vero faceret si noni anni Horatiani memor non adeo subito sua cogitata prelo traderet. Deinde valde doleo virum meliora promittentem Berolinensium litibus se sivisse implicari, vel qui miracula statueret nupera, parum nunc a Soci-niano, si quidquam differet.

Navis Cookii in promuntorio Bonae Spei adpulit, et proxime exspectatur. An felix fuerit, nondum notum est, videtur autem vel ob diuturnam moram alicubi in terris australibus aliquamdiu sedem fixisse. Bankesium audio in adornandis tabulis pergere. Fennerana navigatio tota frustranea fuit.

1) Vielleicht die „Sammlung und Beschreibung ausländischer Schmetterlinge“ von Peter Cramer. Catalogus S. 4.

Pergit valetudo mitior esse, spontanea potissimum diarrhoea mihi minime male respondit. Est tamen ut vereor aliquid hypochondriaci, quod saepiuscule spiritus deprimit, minus tamen acerbe quam ante mensem solebat.

Vale et me ut soles ama, vir optime. Bernae die 1. Jul. 1775.

Si possem de Avena nigra et alba aliqua a vestris oeconomis habere et potissimum plantas cum spinis, gratissimum foret.

512.

(507).

Primas omnium ad Te literas scribere molior, et merito, Gesnere amplissime, qui meorum amicorum pene sis antiquissimus. Peripneumonia erat pituitosa, quae me pene oppressit, facillime tamen usu thermes mineralis se passa est dissipari. Successit febris longa, sed ea facile iterum mixtura styptica superata fuit, ut praeter debilitatem de morbo nihil supersit. Verum urinae nimiae sollicitationes misere me torquent, ad quas nunc aquam calcis lacte mistam potabo.

Debilis omnibus, capite limpidissimo et ad studia praeter morem excitato, cogito de absolvenda mea Cerealium historia, optimum pictorem¹⁾ ad characteres nactus, sed deficit exemplum certum Hordei caelestis, Elymi Sibirici vulgo ni fallor Hordei Sibirici. Te autem perspicui, putavi me posse omnibus in curis ad Te confugere; si nulla alia exempla haberi possunt, mitte quaeso ex Tua collectione utriusque exemplum siccum, inter dua chartacea folia compactum; curabo ne quidquam capiat detrimenti et inviolatum remittam. Spero ineunte M. Septembri gratum hunc librum me suscepturum.

Abletius non spernendas icones et multa nova genera habet adjuvante B. de Jussieu. Spielmanniam et Pyrethrum Medici nosti et Zanzinnam Neckeri.

Quae de equestri dignitate mihi collata in novis feruntur publicis fabulosa esse puto. Ego quidem ne verbum quidem unquam de tota re inaudivi, et post mortem Rosenii nullum habeo in Suecia amicum, qui verbulum de ejusmodi honoribus ad Regem diceret. Valetudine mihi meliori opus est, non novis honoribus²⁾; vereor autem ne miserum illud urinae vitium perpetuaeque fere absque somno noctes mecum consenescent.

Vale, vir ill., et me ut soles ama. Bern. die 26. August. 1775.

1) Johann Georg Sturm (1742—1793), Kupferstecher.

2) Am 25. Nov. 1776 wurde Haller Ritter des Nordstern-Ordens. Rössler, S. 384.

513.

(508).

Quod Schulthesium nostrum proposueris, perhumaniter fecisti et pro Tua amicitia; quod ea aetate novum vitae genus inire nolit malitque in solitis negotiis consenescere, recte facit vir optimus. Plantas accepi, in Hordeis laboravi, ea puto vere tantum duas efficere species, floribus omnibus hermaphroditicis et floribus binis fertilibus, quatuor sterilibus. Herastichon tamen potest utcunque distinctum manere, *Oryza Germanica* autem vix, habeo enim simillimam spica longa, quam nostri agricolae *Reisgerfte* vocant.

Videor mihi in mea farragine cerealium non satis bona specimina habere *Avenae nuda*e, ut de discrimine recte judicem: quare ad Tuam bonitatem pro specimine recurro, in quo panicula perfecta sit.

Delineatos dabo flores. *Elymum* vero nusquam puto seri, quare et omitto. Exemplum Commentariorum nostrorum T. V. mitto, in quo *Triticum* meum. Heri tantum accepi.

Valetudo fere eadem. Aqua calcis cum lacte nihil videtur perficere. Semel laudani 30 gr. clysteri instillavi. Subito lotii vim suppressit, ut tranquillum diem noctemque transegerim, sed ventriculo infesta vis est, adversa potissimum carni digestioni. Vires vix redeunt, soli sensus valent.

Vestri pergunt adeo negligenter in Bibliotheca anatomica progredi, ut de industria videantur quaerere imperfectum opus et morte mea interrumpendum. Infauste haec passus sum me a filio ad injustos homines illidi.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. die 13. Sept. 1775.

514.

(509).

Absentem Te fuisse puto, quod ad meas novissimas non responderis, neque *Avenam nudam* miseris quam desideraveram ea causa fuerit. Nunc si rure degis neque potes commode exemplum mittere, responde quaeso ad has quaestiones.

1. Verene receptaculum in *Avena nuda* longius est? Nam est in meis, sed flos calyce longior.

2. Verene semina nuda reddunt, ut *Linnaeus*? an potius ut in *Avena nigra* cum raro fit, calyci delabatur aut duo flores nudi sint. Fac quaeso pro humanitate Tua ut de hoc doceas. Dissertatio mea proxime Gottingam abit, nobis nulla *Avena nuda* seritur, et mihi pauca sunt sicca specimina.

Valetudo mea potius declinat, urina nempe ut ad hiemem accedimus, ita magis urget, coctio etiam ciborum passim vacillat, et somni est minimum. Libros passim accepi. *Aubleto* vix poteris

carere, qui totus fere in novis sit generibus. Hillius poterit suo in Horto Malabarico labore abstinuisse, adeo parum est quod lucis adtulit, cum interim figuras corrumpant.

Schreberi gramina minus accurata esse quam speraveram in Zeocrito expertus sum, cujus characterem non bonum dedit. Plurimum bonae frugis est in Leubii Flora Holbornensi, potissimum in graminibus, quorum 104 figuras ipse sua manu delineavit et sculpsit.

Floram Danicam Mullerus, quod miror, non misit. Oederus duo exempla mihi solebat mittere.

Pulcherrima quaeque Holmia exspecto, potissimum Ekebergii, insignis oeconomi ut nunc dicunt, Iter Chinense¹⁾.

Sulzerus adfecta certe valetudine, magno tamen animo, iter suum austrum ocus urget, utinam meliori cum virium statu redeat. Rediit etiam ex Polonia medicus Urbensis V. multaque de misera reipublicae conditione narrat.

Vale, vir amplissime, et me porro ama. Bern. die 23. Sept. 1775.
Commentarios nostros acceperis.

515.

(510).

Video ab aliquo jam tempore me non scripsisse, optime Gesnere. Non unice quod morbo occuparer, etsi et is mihi saepe fuit gravissimus, etiam adeo quod mire animi vires omnemque ad agendum alacritatem supprimat. Verum nihil erat quod mandarem. Libros exspectabam nobiles aliquos Lugduno, et ex Suecia dudum fasciculum, sed ista omnia morantur. Ab aliquot retro diebus interim urinae quidem vexans illa frequentia pergit, caeterum somni aliquantum recuperavi, nunc me periculosum vulnus adfligit, quod filius meus tertius natu²⁾ accepit. Ita voluntas est divina, ut per tenebricosas omnino vias vita mea procedat et omnino ad nihilum redigeret, nisi hactenus ad studia voluntas superesset.

Camperi³⁾ filius mecum fuit, pater multa minatur, potissimum ad anatomen comparatam spectantia elephantis, rhinocerotis, Orang-Utangi et delphini, tum organi auditus piscium.

Saussurius serio ut audio nunc de perficienda glacialium montium historia⁴⁾ cogitat, quos plurimos et audacissime visitavit.

1) Carl Gustav Ekeberg, Ostindische Reisen in den Jahren 1770. 1771. Stockholm 1773.

2) Johann Karl Haller war Oberlieutenant im Regiment von Erlach. Rössler S. 383.

3) Peter Camper (1734—1789), einer der bedeutendsten holländischen Mediziner und Naturforscher.

4) H. B. de Saussure, Voyages dans les Alpes, 4 vol. Gen. 1779—96.

Hillius offert commentationem suorum operum; systema vegetabile nunc perfectum est, nempe non ultra continuabitur, deerunt Arbores et ni fallor Cryptogamiae atque Gramina. Sed frustra Tenugis moror. Pro humanitate summa nepotibus meis demonstrata gratias ago plurimas. Tu vero vale, vir amplissime, et porro fave ut soles. Bern. die 13. Nov. 1775.

516.

(511).

Morbus meus eodem fere circulo pergit. Mictionum frequentia, et insomnes noctes potius frequentiores sunt, his ultimis exceptis, in quibus levamen aliquod percepi. Ferenda sunt quae mutari non possunt, subinde tamen animus longo sub onere labescit et omnino collaberetur, nisi necessarii labores me subinde a contemplatione harum miseriarum [me] avocarent.

Multa habeo nova, non vero magni momenti. Mullerus quod miror Floram Danicam nullam misit, quam Oederus semper et duplicem miserat.

Houtteynius in fruticibus pergit. Commersonii nihil publice proditurum esse illubenter audio, innumeras enim novas plantas legerat. Plura spero a Forstero, qui Germanica diligentia itineris sui spolia ut spero elaborabit, et Bankesium praevertetur.

Nihil meorum prodit, paulatim in Bibliothecis proserpo. Aliquam curam in dictionario medico pono, quem Felice edit, et quem nonnulli docti viri suis laboribus adjuvant, Pittius etiam, Spielmannus, Louis. Et tamen pene taedet compilationis.

Gallica editio poematorum¹⁾ satis nitida esset, nisi absurdum bustum meum praefixissent, mire miserum.

Vale, vir Ill., et me porro ama. Bern. die 9. Dec. 1775.

517.

(512).

Mullerus quod miror, cum Oederus semper duo exempla Florae Danicae misisset, nihil misit, itaque cogor emere. Dudum petii a Vestris, non possum obtinere, fac quaeso, si absque Tuo incommodo fieri potest, ut moneas, velint exemplum misisse coloribus pictum. Commersoniana Adansonio tradita metuunt, ut pariter cum istis blattis emendentur et tineis.

Difficultates aliquae circa dictionarium exortae non sinent forte me in eo opere laborare, et quod me novum laborem non adtinet desiderare, alioquin obvertor.

Libros nonnullos accepi, a Lardrio lib. de aere salubri, Gallicos nonnullos practici fere argumenti, Houtteynii botanicorum tomum

1) Bern 1775.

IV., Acta Zeelandica, quae nunc adgredior legere. Fasciculus ex Suecia missus nondum advenit, de quo doleo. Continebit duos novos tomos operis Geeriani, iter Chinense Ekebergii etc.

Aliquanto mitius morbus mecum agit, aut forte ita adsuevi, ut certe laetitiam mentis malum minus frangat. Id summum incommodum, ab opii usu alvum pertinaciter stringi, ut clysteribus aperire sit necesse.

Nihil in meis perficio. Tomum tamen I. Bibliothecae practicae absolvunt, non ita anatomicum, de quo desperatum est, et cujus paulo plus media parte intra biennium Vestri typographi excuderunt.

Splendidam anatomen equi Fossii¹⁾ miserunt. Nec vero perinde accurata est ut splendida, et fere tantum primum obvia tradit, si a pede recesseris. Parum etiam in universum res medica per eos veterinarios profecisse videtur, cum lege regia pergant animalia occidere, et a medicatione nusquam ullum fructum ceperint.

Vale, vir Ill., et porro me ama. Bern. die 23. Dec. 1775.

Nolim Tibi molestus esse in adeundis Vestris bibliopolis. Auctoritate Tua puto bene impelli posse difficiles homines, ut Floram curent Danicam, sed re rectius perpensa, mandatum adgnosco Te valde indignum esse.

518.

(513).

Horridam historiam veneficii adtentati non redidissem nisi Tibi isti. In nostra Helvetia ejusmodi monstrum non quaesivissem, qui tot innocentes homines ignotos sibi, vel ob unius alteriusve offensus, vel ob turpissimum lucrum sub velo secretissimae religionis necare voluerit. Putabam arsenicum, quod in stanno Magyonius plurimum invenit aliqua ex causa in vinum inrepsisse. Nunc video certo consilio diversi generis venena in vinum consecratum collecta fuisse. Faxit Deus ne hujus modi monstruosa crimina in nostra patria repetantur.

Valetudo mea novis frigoribus mire affigitur. Opium alvum stringit, somnum aufert, urinam vix quidquam minuit, neque frequentes sollicitationes curat. Itaque noctes fere insomnus dego, interdum tenesmi et faeces impervio ano adpulsae me vexant. Clysteres ex oleo lini tentavi, videtur respondere. Neque tamen audeo penitus opio abstinere, cum diabetem metuam, si id urinae vitium quod patior sibi et naturae permitterem. Mirum est cum his malis faciem meam, ut omnes consentiunt, meliorem valetudinem promittere, et certe videor mihi me vires sentire meliores, ut ala-

1) C. la Fosse, Cours d'hippiatrique ou traité complet de la médecine des chevaux. Paris 1772. BA II, 622.

crius obambulem, alacriter etiam laboribus incumbem. Sub prelum proxime Gallicas amicorum epistolas dabo. Poematibus moram fecit iconum impressio, quae novae accesserunt huic editioni, quae jam de prelo exiit.

Haenius subito exspiravit, cum se sanatum putaret ¹⁾.

Jacquinum legi. Videtur mihi nimis subtiliter species dividere. Certa *Cacalia tomentosa* et *glabra*, *Petosites uniflores* caule repente major et minor, *Oxyacantha* unico et duobus stylis mihi vix differre videntur. In Belgio constanter unico stylo provenit. Deinde passim vulgares plantas depingit, in quibus nulla est obscuritas, ita augentur sumtus. Ejusmodi est *Sium*, *Falcaria*, *Heliotropium*, tot aliae. Promisit tamen se cum quarta centuria operi finem impositurum, quod non invitus audio, pretium enim 50 jam ducatorum pro 5 centuriis magnum est. Aliquid dabitur viro caeterum humano et pacifico, in turbulenta academia nemini molesto.

Ex Hispania scripsit Cl. de Villa. Minime laudat professores Madritenses. Regem Lusitaniae meliori consilio Coimbram peregrinos viros eruditos vocasse, neque aliam in Hispania viam esse restituendae historiae naturalis.

De Jacquino puto me scripsisse varietates, ut mihi quidem videtur, aliquas ab eo in species evehi contrario instituto Linnaeano illi copiarum botanicarum instructori; minus quidem periculi est in subtili distinctione specierum, sed etiam Medicus in L... species aliquas restituit pro varietatibus habitas.

Haec scribo per noctem pene totam extra lectum transactam et insomnem. Interdiu sano similis sum, noctes tristes sunt et molestae.

Vale, vir Ill., et me ama. Bern. die 10. 1. 1776.

519.

(514).

Priores septimanae adeo molestae fuerunt, etiam potissimum depressis spiritibus etiam multo sopore graves, ut calamum adripere vix sustinuerim. Nunc haec hebdomas aliquanto melior est, ut tamen et copia lotii et frequentia me vexat. Animus vero aliquanto melior est.

Ita et Sulzerus Nica ad me scripsit, qui mihi gratissimus fuit nuntius. Viri fortitudinem admiratus sum, qui ad 400 leucas solus cum famulo et cum mulo in regionem ignotam proficisci sit ausus. Tussim, pergit, sibi molestam esse.

Accepi Parma pulcherrimas tabulas anatomicas posthumas Dominici Santorini ²⁾ mira arte sculptas, a Girardo Parmensi editas.

1) De Haen starb erst im September. S. Brief 531.

2) Domenico Santorini, *Septemdecim tabulae*, quas nunc primum edit Michele Girardi. Parmae 1775.

Caeterum nundinae praeter Trelkällium valde steriles sunt. In Suecico vero fasciculo aliquot genera nova sunt plantarum, quae si aves videre mittam, Thunbergia, Schrebera, Hydraea, haec mirum fungi genus cum vero flore trifido et tribus staminibus. Locupletissimus est fasciculus, legi cum voluptate Geographiam Vulturis Bergmanni, Geerii novos tomos insectorum¹⁾, Ekebergi iter Chinesense non respondet. Linnaei aliquae sunt disputationes, caeterum nihil scripsit novi, plurima vero ab itinere Cookii australi expectamus.

Oederum Vestri promittunt.

Haenius casum expertus est non dissimilem apoplexiae, et videtur laboribus et conjunctis taediis valetudinem fregisse. Et tamen hostis abiit Cranzius, perinde Academiam reliquit. Mecum videbatur sincere reconciliatus, quod quidem inter feliciora eventa numero. Morbi enim perpetui animum ita consternunt, ut praeterea taedia et infortunia vix sim laturus. Somnus potissimum me destituit.

In operibus tamen pergo, Bibliothecae anatomicae annos 5 addo novissimos, quos distuleram, felix quod studia imbecillem senectutem hactenus alant.

Tu vero vale porro viveque felix, Gesnere praestantissime. Bern. 17. Febr. 1776.

520.

(515).

Duas gratissimas epistolas Tuas coram habeo, ad quas continuo respondeo, Gesnere praestantissime.

Valetudo mea potius aliquanto melior est, dormio certe et edo, etsi lotium pergat molestum esse. Studia tamen non moratur.

Mittam tomos Suecorum, in quibus nova genera sunt.

Petropolitana vix nisi mathematica sunt, icones plantarum malae.

Vicissim si Kittii aliasve disputationes posses communicare, gratum facies. Nunc de Pfenningero²⁾. Non soleo honesta desideria refutare, et si valeo hactenus ut nunc quidem valeo, nihil haec res habebit difficultatis. Si vero incideret boni viri iter in tempora tristiora, fieri posset ut difficilius foret negotium, nam facile in eo taedioso otio, dum me pictori praesto immobilem, somnus possit obrepere.

Haec enim unica difficultas est, ego quidem nihil moror, et puto bibliopolam nostrum lubenter copiam emturum imaginis, si

1) Carol. de Geer, Genera et species insectorum.

2) Heinrich Pfenninger (1749—1815), Maler, Radierer und Kupferstecher in Zürich. Über sein Haller-Bildnis s. Weese, Die Bildnisse A. v. Hallers. Bern 1901. S. 205 f. 214 f.

eo quidem responderit, ut addit editioni opusculorum Germanicorum quam molitur, poematum, Usongii etc.

Ex Anglia aliqua advenerunt, botanica nulla praeter O... de venenis, qui icones plantarum venenatarum habet, nondum quidem legi. Nunc maxime, ut saepiuscule soleo, pene syncope me prosternit, quare finiendum est. Tu vero vale et me porro ama. Die 6. Mart. 1776.

521.

(516).

Gratias ago, Gesnere praestantissime ob transmissa Viennensia, obtulit etiam Jacquinus cum suis, sed nondum advenerunt. Viennenses nimium videntur suis specificis tribuere. Certe in Colchico inque Cicuta non responderent.

Advenit catalogus plantarum insulae Hispaniolae cum iconibus rudiusculis.

Accidit quod metuebam. Cum ea syncope nondum esset dissipata, de qua scripsi, advenit Pfenningerus. Ancilla remisit ad alterum mane, sed illo altero mane Bernam reliquit. Forte redibit; non recusabo ei horas aliquas dare, sed omnino tempora sunt seligenda quibus rectius valeo, ut nunc maxime. Largerville non mihi carus pessimam daret imaginem, colore subflavo, longa facie.

Lego ante omnia alia Tua et remittam ut spero die 22. Si interim adveniet, addam Bibliothecae Practicae Tomum I. qui absolutus est et Anti-Voltairianorum Tomum II. qui . . . prelo prodiit.

Aucta dosi opii, quae videtur non suffecisse turbidae urinae, multo melius habeo his diebus, et noctes sunt tranquilliores, dies laetiores. Sunt nunc gr. 100 laudani diebus alternis aequivalentes fere 3 gr. opii. Nihil inde soporis sequitur.

Itaque vale, vir Ill., et me ama. Bernae die 16. Mart. 1776.

522.

(517).

Gratissima erunt quae benevole communicabis, eaque remittam illibata, addam Linnaei Surinamensia, quae praetervideram, habeo etiam plantas Hispaniolas, sed eas valde inconditas, cum malis iconibus, exspecto vero his diebus Soansali(?) N. Guaianam. Kit-tius misit aliquid novi.

Tabulae Germanicae editionis Pennanti aliquanto duriores videntur, sed nondum vidi, faciam ut potero quo contentus sit Haidius. Ex Suecia audio multa bona advenisse a Sparmanno, cuncta Forsteri, Thumbergi, qui cum C. B. erat et Japoniam adiit. Scripturum Bergerum de anatomia audio.

De valetudine quaeris. Utique aliquanto melior est. Dormio,

cibos appeto, paucis horis fere 2 aliquantum langueo, quando vis opii exhausta est; si possem, sed fieri non potest, singulis 24 horis opio uti, nihil valde paterer. Oedemata equidem augmenta ceperunt, sed ea etiam minuuntur, postquam vinum raphano rusticano medicatum sumsi.

Nullum adhuc exemplum Bibliothecae practicae possideo, alias misissem. Jennensem remisi et Jacquini aliam Tibi Centuriam III exspecto Horti, ultimam. Multa sperat a Schaefero nupero botanico et optimo suo discipulo.

Haenius moritur, hydrope pectoris constrictus. Librum scripserat de miraculis, eum censor noluit [ut] inprimi, vehementer inde conturbatum fuisse virum Ill. et abunde deterius habuisse narravit D. Ambedick. Forsteri novas species exspecto, videtur properatum opus, in quo 28 sunt tabulae sculptae, cum vix ab integro anno in Angliam redux sit, novum iter molitur quando fatum ferendum erit.

Bourgaletus sententiam meam quaerit de lue pecoris. Archiatri et medici primarii Galli omnes consentiunt, nullam nisi in occidione spem esse. Misi ad eum meum libellum, quem non viderat, quo similia dederam consilia. Nostra ditio post illam occidionem 285 animalium anni 1773 nihil porro passa est; periculosissima vero nostra conditio est, cum montes pascui Burgundiae nostris proxime vicini et non ita sunt ut sepibus separentur. Constituam deserere nimis propinqua pascua, quando lues propinquaverit, ita nunc, cum Sabaudiam irrupit et ex Gallia mali adveniunt nuntii. Sic ex Belgio foederato, ubi vix unquam valetudo publica restituitur.

Delineasti vulturem Alpinum: ego in adversario retuli, avem quam ipse vidisti non fuisse calvo capite et collo. An recte? sed vulturi similabat rostro large recto. Character singularis est in barba.

A Sprunglio speramus dissertationem aliquam ad historiam naturalem pertinentem. Plus nostri diarii Gottingensis desiderium opt. Munchhusii, quem irreparabili damno amiserunt.

Pfenningerum lubens admittam, si valetudo siverit. Experientia me docet melius me habiturum die pari, April. 4. 6. 8. 10. et sic porro, nam fieri posset ut diebus imparibus exhausta opii efficacia languerem. Nunc reperio novum genus cum icone in plantis Suecorum, solus Gustaviam Augustam Linnaeus dixit, splendido flore arborem. Mittam.

Accepi ex Italia libros, medicos eos et chirurgicos, sed mercator Venetus ad Vestratem ni fallor D. J. F. Lavater, doctorem et pharmacopolam alium fasciculum misit Venetiis emtum, cum diario agriculturae etc. Fac quaeso, nisi molestum est, ut rescias

num iste D. Lavater eum fasciculum a D. Wagner Venetiis missum suisque additum mercibus propediem exspectet, et meo nomine officiose roga, velit, ut primum advenerit, desideratos admodum libros mittere.

Vale et me ut soles ama. Bernae die 3. April. 1776.

523.

(518).

Perfecte valentem Pfenningerus non inveniet, et etiam minus per hoc novum frigus, quod mihi est inimicissimum, sed nisi deterius habeo, potero matutinis horis certe, forte et post meridiem mei facere bono viro copiam.

Pro promissis grates ago maximas; incorruptas plantas remittam cum Linnaei observationibus, in quibus Gustavia Augusta, arbor splendidi floris, depingitur, et plura sunt genera nova. Addam si Tibi videtur Sonneratum, habet quam plura genera nova cum characteribus, Commersoniam, Conium Moldicium novum etc., alias rectius alias minus, sed immensam vim avium. Quare si vis addam jube.

Grata sunt quae de Tschudio doces.

Mittam et Nicolsoni plantas Dominicanas, minus vero bonae sunt icones. Veneta illa grata advenient, diaria sunt potissimum, quibus aegre carebam.

Valetudo mirifice ludit. Die solis immensum dolorem passus sum ex alvo sicco, oportuit spatula et digito faeces eximere, cum sex clysteres frustra fuissent. Inde agrypniae noctibus in hac brevi hebdomade duabus. Tribuo haec frigori, nec sunt insolita. Animus, Deo sit gratia, tamen melius constat, neque nigerrimas illas horas patior, quas olim. Id nunc unicum meum est desiderium, ut valeam patienter ferre mandata patris optimi. Oedemata decrescebant, redierunt nec tamen valde molesta. Ad studia valeo, tantum porro saepe somnus urget, jura sua expetente natura.

Azzoguidi Physiologiam suam¹⁾ ad me misit: ait se meis uti experimentis, nondum legi. Lavatero interim velim meo nomine grates agere plurimas. Wagneri est audacia quod fasciculum meum optimo viro inscripserit, debuerat Bergamum misisse.

Pennanti Zoologica evolvi, sed Anglica editione cum destituar, non possum de fide iconum aut colorum judicare, colores quidem puto bonos esse, neque ad gratiam fictos, ut passim apud Gerinium. Hirundines submersas non vult admittere: durum tamen et

1) Germano Azzoguidi, Institutiones medicae, Vol. I. Bonon. 1775. BA II, 704. Abhandlungen d. K. Ges. d. Wiss. zu Göttingen. Math.-phys. Kl. N. F. Bd. 11, 2. 34

injustum est rejicere experimenta publica fide fulta. Id verum, hirundinem sub aquam mersam morte perire, nam vidi. Andreae opus continuo prodibit gratum Tibi facturum.

Vale et me ut soles, optime Gesnere, perge amare. Bern. die 10. April. 1776.

524.

(519).

Kittii plantas remitto. Inter eas est cujus specimen aut plura desiderarem, Pyrethrum novum, quod Leucanthemum alpinum, Myagrum non vidi uno flore et fructu, subest metus ne sit Saxifragia. Tu melius noveris, neque enim accurate inspexi.

Valetudo mea gravior videtur, augescunt potissimum oedemata pedum, etiam femorum infimorum. Pfenningerus subito iconem meam absolverat, valde ut vides dure pictam. Casu tamen facies adeo inclinata est. Nunquam de Ortliebii invento quidquam speravi. Nunc vexat et nos suo errore, et ejus socii, qui salem nescio quem parant, quo condito semina cerealia fiunt fructuosiora. In Te aequus fuit Cl. Andreae. Videtur passim nimis acer, etiam injustas. Nunquam palatium Valseliense in curia vidit: palatium erat multo sumtuosius, excogitatum ab architecto Sprünglino.

Gmelinum ajunt lucri faciendi causa se in literarum manus reddidisse, et fetum suum revelavisse.

De Sonnerat non respondisti, majusculum est volumen, mittam si placet. Jacquini nihil advenit. Orno Bibl. Pract. T. II.

D. Schulthess primis diebus proximi mensis Bernam relinquet, Tua Tibi reportabit.

Strangius, quae ipsi destinabam, jubebat Kuhnansio ut mitterem. Nunc cum Kuhnansius ipse Venetiis degat, nosti forte cui sua Strangius mandaverit, habeo enim quae mittam.

Vale, amicissime Gesnere, ama veterem et moriturum amicum, satis enim video instaturum hydropem. Bern. die 23. April. 1776.

525.

(520).

Ecce, Gesnere Ill., plantas Kittii et Wesprium, pro quibus multum dabo. Adjeci Sonneratum (Cacao character differt a Linnaeano), Linnaei plantas Surinamenses et nescio quas minutias, quas vix ausus sum mittere. Libri II adversus Voltairium Sulzero destinati sunt, quos ei ut reddas precor, quando Tigurum adveniet. Non videtur mihi pulmo optimi viri satis confirmatus.

Squillam, Tartari oleum, Raphanum rusticum nonnulli medici suaserunt, alii quam variissime contrariam sententiam tuentur: roborandam esse mihi fibram laxam, seri minuendam ubertatem.

Itaque limatura chalybis nunc maxime utor. Opii dosin diminui, et conabor, si id fieri potest, ut porro minuam. Defaecationem subprimit, quae mihi subinde insomnium noctium causa est, ut a prima hora mihi in sella mea victitare sit necesse. Urina potius minus molesta fuit, oedemata videntur minui.

Pfenningeri faciem illibenter vidi. Potest fuisse: diuturna sessio me alioquin nocte non dormientem hactenus sopit, sed praestitisset me monere, facile me erexissem.

Nunquam his macerationibus quidquam tribui, nisi forte aliquot dierum velociorem germinationem. Voluerunt nonnulli nostrorum experimentum facere.

Schmiedelius puto mittet suas icones.

Sulzerus periculoso consilio montem Gotthardi sibi sumit superandum. Catarrhus homini pulmones debilitat, maximum morbum potest arcessere.

Hafnienses medici me secum sodalem esse voluerunt¹⁾, sed Suecici illi honores merae sunt fabulae; quis amet meo nomine abuti, ignoro equidem, sed literas ex Suecia habui satis nuperas quae nihil indicant

Herrenschwandum videbis, qui thermas adit Fabarias valetudinis causa. Amicitiam summam hic in meo morbo mihi demonstravit.

Kuhnus, celebris noster chirurgus²⁾, periculoso pulmonis morbo decumbit. Egregium professorem Academia Gottingensis nacta est, Blumenbach³⁾, a quo plurima mihi bona promitto.

Azzoguidii Physiologia undique ad meas opiniones descripta nuper advenit, et Raymondi Cocchii observationes anatomicae⁴⁾, quas necdum legere potui, et . . . de aquis Patavinis, practicum opus, et alia medica. Adventat Caidani Pathologia, et nescio quae Corti, cujus egregium de Chara et Tremella librum ante annum acceperam, sed plura misit.

Vale, vir Ill., meque ut soles ama. Bernae die 28. April 1776.

1) Am 9. April 1773 war Haller Mitglied der Kgl. Gesellschaft zu Kopenhagen geworden. Rössler S. 383.

2) Gottlieb Kuhn, von 1752 an Insel-Operateur in Bern, starb 1776. Leu, Suppl. III, 418.

3) Johann Friedrich Blumenbach (1752—1840) wurde im Februar 1776 außerordentlicher, im November 1778 ordentlicher Professor der Medizin in Göttingen, in welcher Stellung er bis zu seinem Tode blieb. Seine Hauptverdienste liegen auf dem Gebiet der Anthropologie und vergleichenden Anatomie. Gurlt-Hirsch I, 490 f.

4) Lezioni fisiche anatomiche. Livorno 1775. BA II, 716.

526.

(521).

Libris meis ut commodum est utere. Interim advenit fasciculus Anglicus, inter eos libros Ellisii Arbor panis¹⁾ et Margosta, ille quidem character imperfectus est, et minus accuratus quam apud Sonnerat; si lubet mittam, addam libello Sulzero destinato.

Squilla nos omnes utimur ad hydropis initia, sed contraria stomacho est. Videtur autem meum oedema quantum ejus est supra genu omnino evanescere, et in universum aliquanto melius habeo. Opii dosin sexta parte diminui. Superest 1. constipatio, equidem minus molesta, 2. languor 44 ad 48 h. post opium, fere duarum horarum.

Gaubius misit Orationem suam²⁾.

In libris Anglicis fuit Barry de vinis antiquorum³⁾, magnus liber, Rutyi materies medica⁴⁾. Exspecto nova genera Forsteri, valde deproperata, tum itinerarium.

Pellichius floram suam inceptam misit, quam audio absolutam continuo prodituram. Plantas Lansii evolvi. Putabam accuratum fuisse virum, sed in plantis siccis video varietates numerasse pro speciebus.

Muscos quosdam ex Sabaudia accepi, ignoti viri donum.

De foedere Gallico⁵⁾ hac hebdomade res hic confecta est, non sine multis vaticiniis. Primarias conditiones tamen nostri acceptant, de nonnullis dubia movent. Potissimum laboratum est ex perpetuitate foederis, quae nonnullis vehementer displicebat. Spero omnia vota successura, et gratias ago divinae providentiae, quae Gallorum animos ita disposuit, ut omnem de restitutione mentionem ab ipso limine refutarint: inde magnorum malorum causam puto praeteriisse.

Heri magnum opus accepi a Spallanzano missum de animalculis infusoriis cum nitidis tabulis⁶⁾. Multum inde spero me disciturum.

Abbas Corti⁷⁾ videtur eruisse in plantis tam siccis quam

1) In den Philosophical. Transactions 1775.

2) Oratio de admirandis divinae providentiae documentis in condenda, tuenda et amplificanda Academia Lugd. Bat.

3) Sir Edward Barry, Observations historical, critical and medical on the wines of the ancients etc. London 1775, GGA 1776, 699.

4) John Ruty (1698—1775), Materia medica Antiqua et Nova. Rotterdam 1775.

5) Im April 1776 hatte der französische Gesandte den Entwurf zur Erneuerung des Bündnisses zwischen Frankreich und der Eidgenossenschaft nach Zürich geschickt. S. Dierauer IV, 271.

6) Lazzáro Spallanzani, opusculi de fisica animale e vegetabile. Modena 1776, 2 Bde. BA II, 609.

7) Osservazioni microscopiche sulla tremella e sulla circolazione del fluido

aquaticis motum nonnullum circulatorium obtinere, non verum tamen qualis est in animalibus, neque duo sunt vasorum genera, sed utique succus in eodem intervallo duorum diaphragmatum ascendit, descendit iterum et ascendit vimque suam legit et relegit.

Strangius noster¹⁾ in Phil. Tr. contra sententiam pugnat, quae basaltae originem vulcanis tribuit. Ipse mavult habere pro primariae telluris rupibus, internam per organisationem natis, substantiae quarzeae. Vulcanos in montibus primigeniis cunctos horum fabricam turbasse, mutasse, non autem novos produxisse montes. Adjecit basalticas regiones varias. Botanica non puto hoc in tomo reperiri.

Cooke continuo propediem novum iter suscipit in mare antarcticum, hinc Californiae oras leget, quascunque per frigora licebit. Itineris relatio non prodibit ante ejus abitum. Nondum audio aliquem ei comitem dari historiae naturalis peritum. De Forstero novi vehementer fuisse conquestum.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. 18. Maj. 1776.

527.

(522).

Sonneratus, Gesnere illustris, et reliqua recte redierunt.

Videor mihi ex Tuis, et facile id fieri potuit, bis epistolas anti-Voltairianas misisse, ut Sulzero tradantur. Id si factum est, Lavatero alterum exemplum quaeso cura.

Ellisius icones habet non botanicas, Arboris panis absque caractere masculino, Margostam, quam dudum dedit Goninius. Itaque non misi.

Eximium opus Spallanzani de animalibus microscopicis et vermiculis potissimum spermaticis legi.

Pellichius descriptiones habet etiam vulgatissimarum plantarum, nova perpaucas. Tres tribuit Tibi. Impar Andreae qui Tua omiserit, siccus et avidus auctor, et in plurimis infidus, qui paucissimis diebus civitates percurrebat, obvio cuique fidem adhibuerat.

Nunc et alteram humanissimam epistolam Tuam accipio.

Forstero utere quoad eo Tibi opus erit. Editio 4. forma etiam prodiit. Miror velocitatem, qua hae tabulae sculptae fuerunt.

De Sulzeri valetudine mihi metuebam quam maxime, et video non frustra. Levis catarrhus in eo pulmonis statu periculi plenus est. Fortissimus equidem viri est animus, sed culpa hominis est, nihil ultra, neque placet febricula.

in una pianta acquajuola dell' abate Bonaventura Corti. Lucca 1774. GGA 1776, 14.

1) John Strange (1732—1799), englischer Diplomat und Schriftsteller, Verfasser geologischer und archaeologischer Arbeiten. Dict. Nat. Biogr. LIII, 23.

Storkium, quaeso, trade currui publico, si satis mature haec accipis. Spero bibliopolas etiam mihi Oederi Floram adtulisse, promiserant certe. Pro fasciculo Fuchsiano interim grates ago.

Lardriacus nuper ad me scripsit, experimenta quaedam sua aperuit. Negat mephitides, electricam scintillam aut fulgur animalia necare sublata irritabilitate, quae Fontanae fuerat conjectura.

Libri paulatim advenient. Plurimum spero a Georgii¹⁾ vasto volumine.

Ita valè et porro me ama. Bern. die 15. Jun. 1776.

528.

(523).

Accepi libros praeter Forsterum, quem ut commodum sit servabis, vir III.

Ab aliquot diebus minus male habui praeter incommoda quae nunquam me deserunt.

Basellius vir bono loco natus mecum fuit, eum Saussurio de meliori nota commendabo.

Fuchsii icones puto ad vetustum exemplum depictas esse, si enim colores ad naturam illati essent, nimis pallidi forent, ut in *Gentiana lutea*, in *Anagallide*; diligens caeterum labor est.

In Georgii itinere pauca sunt botanica, certe quae ad eam faciunt, praeter floram *Baikaliensem*, parum tamen et ea novi habet.

Prostnickii plantae venenatae obiter sculptae sunt, et valde malae icones *Bankesii*, quas nonnullas accepi.

Utinam Sulzerus *Berolinensibus* vinculis liber esset, ab eo enim aere frigido et vehementissimis ventis perflato mala mihi metuo. Animosiorem hominem nunquam vidi.

Hodie nostri voces aliquas Vobis quae displicuerant in literis ad Regem consenserunt expungere. Multa tamen de restitutione nonnulli suspicantur, utinam vana²⁾.

Nova societas oeconomica *Genevensis* multa utilia promittit.

Hac nocte magno in metu fui. Nunquam simile quid senseram, cum fremitus, sopor cum calore et singulari metu me circa l. h. a media nocta invaderat. Necesse fuit surgere, ambulare. Metus erat ne error aliquis commissus fuisset, dosisque opii nimia. Tamen, cum aliquamdiu aegre sopori restitsem, tota res absque ullo malo evanuit.

Vale, vir III., et me porro ama. Bern. die 21. Jun. 1776.

1) Gottl. Georg, Bemerkungen einer Reise im Russischen Reiche im Jahre 1772. Petersburg 1775. GGA 1776, 1114.

2) Unterwalden suchte durch Vermittlung des französischen Hofes Bern und Zürich zur Herausgabe der im Zwölferkrieg gemachten Eroberungen zu bewegen. Dierauer IV, 272.

529.

(524).

Die Veneris, Gesnere praestantissime, abibit exemplum Florae Austriacae Tomi III a Jacquinio missum, ultimum ut spero nimis preciosi operis volumen.

Valetudo mea, ut solet aetate aliquanto melior est. Lotii quidem fastidiosa est ubertas et frequens sollicitatio, singularis etiam ad scapulas dolor somnum matutinum abrumpit et lectum me cogit relinquere, reliqua omnia meliora sunt, liber spiritus, bonus appetitus. Intellego laudanum, cujus quidem pergo sumere guttas 90, multo minus operari, hinc symptomata ab opio isto finem fecisse, morbum ipsum minus ab opio compressum potius aliquanto esse molestiorem.

Cookius nondum Angliam reliquit, hoc tertium amplissimum iter parum rei naturali favebit. De Bankesio Cookius plurimum querebatur, non satis etiam Forstero favebat, nunc neminem comitem habebit, qui rerum naturalium studiosus sit. Iter caeterum suscipit omnium eorum vastissimum, quae unquam sunt facta, etiam priori Drakiano. Oram enim Americae multo altius leget, quo usque nix sinit et glacies. Gentes orae occidentalis Americae dicuntur mites esse, neque absque artibus, ut Hentani relationi fides aliqua accidat, qui etiam nummos apud eos vidit, sed ut puto Japonicos.

Bonnetus valde laborat in nova suorum operum editione et in recusandis primis circa insecta ceptis experimentis, quo tempore satis valebat.

Ego urgeor a prelis. Qui mea describunt, negligentia sua fecerunt, ut nunc subito plus mihi sit laborandum quam vires ferunt, cum somni non satis mihi supersit. Nulla est agrypnia, sed incommoda onera genuum noctes reddunt inquietas, ut experiendo didicissem, levamini mihi esse, quando relicto lecto aliquamdiu ambulo, quoad lectum repetam: id aestate fieri potest.

Vale, vir Ill., et me porro ama. Bern. die 2. Juli 1776.

Poematia mea sub prelo sunt cum tabulis non inelegantibus, sed lentum est negotium¹⁾. Nonnulla emendavi.

530.

(525).

Nihil est necesse ut Te onerem libro Forsteri, cujus tamen pretium satis est grave. Commentariorum Taurinensium exemplum superfluum Tibi, ut opportunitas erit, mittam. C... misit per Redel. Vidi peregrinantem medicum D. Merlinum, qui mihi ad-

¹⁾ Die 11. Auflage, Bern 1777, ein Teil der Auflage mit Vignetten von B. A. Dunker.

versus molestas illas alvi constipationes usum olei ricini suasit. Verum pharmacopolae nostri hoc oleum non habent.

Aestuosa tempestas utique urinae incommodam vexationem minuit. Noctes tormentuosae sunt, singulis noctibus paroxysmus incommodus est flatuum exitum non invenientium, hinc aestus quidam in capite exortus, qui me lecto cogit exsalire. Ita ambulando malum discutitur.

Pretium semper idem est Florae ducati Hungarici, nihil est cur Jacquino eum numeres, cum aequae facile literas cambiales Tiguri sis reperturus.

Valde mihi placuit nova illa icon. Poematia ex prelo prodibunt proxime, nondum autem poterunt vendi ob icones partim non sculptas, partim non impressas. Nonnulla minuta emendavi, ut linguae puritati studerem, paucissima addidi, delevi aliqua.

In meis Bibliothecis pergo. Anatomica, certe textus, intra tertiam hebdomadem denique absoluta erit, sed copiosissimus index otium sibi sumit.

Albini¹⁾ Physiologiam legi, subrisi. Nihil vult hypothetici, ipse plenus hypothesium neque purus erroribus. Neque enim globuli sanguinis solitarii se adtrahunt ut conjungantur, ventriculi tantum duo sunt strata fibrarum, neque cum intestino caeco vesicula seminalis potest comprimi. Neque primis diebus a conceptu pinguem(?) fetum vidit ovumve, tot alia. Confutatam spernes superbiam, qua neminem citat nisi fratrem, quasi is omnium partium corporis dedisset icones, qui nervorum, vasorum nullas dederat.

Multo molestior fuit lectus Oblanti(?), impudentissimi, qui omnis anatomes ignarus nervos a meningibus iterum deducit, sensum cum irritatione miscet (hoc et Albini vitium est). In latinum perpetuo insolenter se offert, in me quandoque, sed videtur sermo latinus eum abstinuisse, ut legere non posset absque molestia.

Tu vero vale et me ut soles ama. Bern. die 14. Aug. 1776.

531.

(526).

Taurinensia hic mitto, Gesnere celeberrime.

Reliquit oleum ricini optimus ille medicus Anglus, sed non audeo sumere ignotum medicamentum.

Haenius obiit subito 3. Sept., cum se convalescere putaret.

De Sulzero doleo, neque tamen speravi meliora.

Albini sceptica physiologia nihil in anatome praecipue habet. Naturam ad nuperorum philosophorum saporem pro Deo suggerit.

¹⁾ Friedrich Bernhard Albinus (1715—1778), Bruder des berühmten Anatomen: De natura hominis. Leid. 1775.

Saussurius adit Armoriam, ut montes basalticos invisat. Wytenbachius cum Wagnero altissimas Alpes Ammerten supra Lauterbrunnen conscendit, sed et iste nihil ad rem herbariam adtulit.

Wagnerus¹⁾ eximium opus meditatur. Octo nunc ab annis Alpes cum pictore varias adiit, etiam vulgaribus mortalibus inaccessas, eas 150 et ultra magnis tabulis ab hoc pictis expressit, glaciales potissimum moles. Id nunc opus sculptum cum suis coloribus edere gestat, utinam id absque suo detrimento possit, maximos enim sumtus impendit. Per duodecades edet, ait tamen satis multa nomina se habere subscribentium. Vidi tabulas, sunt certe perpulchrae, et iis comparatis quae ipse vidi, fideles. Iter etiam Helveticum hic edere volunt. Inter ornamenta erunt aliquae tabulae ad Pfeifferi magnificum opus quod nosti expressae. Vidi duas, Montem Rigiium et Montem Pilatum.

Sinnerus etiam hospes meus iter molitur Helveticum, idem qui nuper Te adiit Tuique plenus ad nos rediit, vir ingenio facili, qui ad alias aliasque subinde notas se convertit.

Basellium quantum potui Saussurio commendavi, et per filium Genevae degentem, et meis in literis Tuo testimonio potissimum commendationem meam superstruxi.

Aliquanto tamen rectius valeo, et dum libera sit alvus, nullas porro animi depressiones patior. Valde vero curiose caveo, ut libera sit, alternisque diebus clysteribus utor. Id cum frequente lotio meum nunc malum est, metuo vero ne omnia hieme ingravescant.

Iconem meam addo, quam Dunker²⁾ expressit. In ore aliquid est adfectati, caeterum satis fida est et nuperrima. Rugas negant in mea fronte tam frequentes esse.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. die 19. Sept. 1776.

532.

(527).

Juvenis chirurgus, qui clysteribus subjectis pene per biennium mihi operam praestitit, et aliquando etiam cum terribili symptomate faeces durissimae nullo modo de intestino possent expelli, spatula eas expressit, vult se Tibi commendatum Tiguri anatomen et chirurgiam disciturus. Id lubenter officium ei praestiti.

1) Merkwürdige Prospective aus den Schweizer-Gebürgen und derselben Beschreibung. Bern bey Abr. Wagner 1776. Text von J. S. Wytenbach, Vorrede von Haller.

2) Balthasar Anton Dunker (1746—1807), Zeichner, Maler und Radierer aus Pommern; er lebte von 1773 an in Bern. S. Weese, Die Bildnisse A. v. Hallers, Bern 1909.

Dolui cum viderem in diario quodam Germanico mirificas quasdam optimi Lavateri conjecturas. Non equidem lego eas ab ipso recusari, tamen utique satis ad ejus ardentem imaginationem accedunt.

.....

Accepi ex Belgio aliqua, et iniquissimam Albini suppellectilem. Nunquam sperassem ab Albino, juniore tamen professore, commentationem adeo undique cassam saepe praeparationum utique perpulchrarum.

Aliquas tristissimas noctes passus sum, eae sunt quae opii efficacia destituuntur. Urina tunc perpetuo urget, insomniam facit et animum ultra modum dejicit. Non ausus sum repetere frequentius opii usum, ob alvi pervicaciam, quae nunquam non efficit constipationem. Lente dosin ejus auxi, et ab ea aliquod levamen spero. Guttas nunc 120 in clystere alternis diebus sumo.

Itaque vale et me ama. Vale vir Ill. Bern. die 20. Oct. 1776.

533.

(528).

Etsi nihil habeo, quod scribi mereatur, calamum tamen adripio, ne forte de valetudine mea sollicitus sis. Ea quidem hac et praeterita hebdomade satis mala fuit ob constipationes incommodissimas, quas clysteres vulgares non norunt solvere: urina etiam satis urget, et animus depressus patitur.

Literas eas Lelioffii non intelligo, neque sentio quid cum Lavatero velint, adludunt forte ad aliqua mihi ignota. Scripta quae in novo diario carpuntur ipse sua esse negat, quod lubens legi, erant enim et nimis anthropomorpha, et hactenus cum conjecturis libri die *Ausfichten* satis consona.

Bene est quod C. Gesneri imaginem dedicastis.

Libri nunc paulatim adventant, quibus hactenus taedia vitae meae solor, quae nunc a 15 diebus certe satis molesta est. Utinam non inormiter, sed praeterea in crede nostro persuasi essemus memores, omnia quae patimur Patris nos amantis esse decreta, sed ea per memoriam natant, in hora tribulationis evanescent nosque deserunt.

Vale, vir Ill., et me ut soles ama. Bern. die 4. Dec. 1776.

534.

(529).

Plusculis diebus valetudo mihi valde molesta fuit, Gesnere praestantissime, febris, urina retenta, constipatio perpetua. Aliquantum nunc respiro.

Gesnerus Cronstadii tamen 200 flor. annonam accipit, eam vero negat sibi et familiae sufficere.

In scholis restituendis nobis apprime fuistis feliciores.

Nundinae satis steriles fuerunt. Cookii iter sub prelo est, laudat simplices qui et aureum nummum huic insigni peregrinationi tribuit; idem nunc in N. Zeelandia est, per mare pacificum, secundum oram occidentalem Americae, denique per Chinam in patriam rediturus. Linnaeus repetita apoplexia tactus aliquam memoriae diminutionem passus est et vocis ingravationem. Aestate ultima elapsa cum Sparmanno diligenter laboraverat in constituendis plantis C. B. J. et insularum maris pacifici. Multis in eum pergit in Supplemento Encyclopaediae Adansonius, qui plantas potissimum exoticas describendas recepit. Tschudius nostratis: iste Linnaeanus, quae mirifica est in eodem opere contradictio.

In praefatione ad natales Breitingeri¹⁾ non sine dolore video, quantum inter Vestros eruditos viros similtates dominantur et factiones, sed etiam Ulrici sermo synodalis omnia tristia nuntiat. Nos suavi somno concordēs sepelimur.

Icones Richerianae²⁾ tamen prodibunt, notis adjectis Gouani, curante Gilberto, qui in Lithuania publica annona adjunctus res naturales colligit.

Primae schedae novae editionis Elementorum sub prelo datae sunt, mutato titulo ad desiderium bibliopolae, forma octava, multum auctae et mutatae caeterum³⁾. Bibliotheca anatomica apud Vestros lentissime porro proserpit: in indice haerent.

Notus Tibi est Kronaerus Vitoduranus, quem audio Urbae vivere, quae nobis cum Friburgensibus communis est ditio.

Vale, vir summe, et me ut soles ama. Bern. die 3. Jan. 1777.

535.

(530).

Silentium meum debetur morbo graviore, aut symptomatibus potius, quae purgationi supervenerant. Die 26. leni, ut sperabat Herrenschandius, pharmaco alvum laxaturus, sumseram *gt.* 75 sennae cassiae et tamarindorum pulpa, successit sub vesperum vehemens vomitus. Omnia remisisse videbantur, quando 27. versus noctis initium vehementissima distentio ventriculi successit, quae me pene ad incitā redegit. Clysteres repetiti nihil perficiebant, dolor inmanis erat in dextro hypochondrio. Denique opii sumsi *gt.* 60 (nemp. laud. liquidi etc.), dolores desaevierunt. Successit

1) J. J. Breitingeri Orationes IV solennes, quibus Ecclesiae Christ. Turic natales celebravit. Turici 1776.

2) BB I, 392.

3) De partium corporis humani praecipuarum fabrica et functionibus. Bern und Lausanne. 1777—1778, 8 Bde.

icterus cum urina saturatissima et nunc oedema auctum est. . . . paulatim haec deferbuerunt, et nunc a laudano mediocriter habeo, vexor autem perpetua constipatione alvi, quae opii est effectus. Opio si abstinnero, succedit et diabetes et mira dejectio virium. Ita clysteribus me alo, raro alvum natura liberat.

Rex Sueciae certe decori meo prospexit, et videntur cives mei plus solito sensisse hanc honorificam significationem benevolentiae Regiae.

Accepi, ni vidisti, Cantesii Londinensis tabulas 66, initium vasti et pretiosissimi operis. Melius est quam solent in Anglia scribere, cum accuratis characteribus et nonnullis emendationibus. Dolendum vulgarissimas plantas depingi, quae nihil egebant pictu. In Persicaria characterem corrigit.

Si putes Aerologiam Voltae ¹⁾ aliquid habere ad physiologiam pertinens, fac quaeso legam. Nam maxime nova editio Physiologiae sub prelo est. Volebat tabulas addere bibliopola, restiti, cum de artifice satis perito desperarem neque praeterea delectarer alienarum iconum compilatione. Volumen operis idem erit, auctaria plurima, typus enim minor est. Kronauerus detrectavit opus meum describendum suscipere. Magnum hoc mihi incommodum est, quod unicus sit Vicat, qui latine, et sic satis male mea imitatur. Gaudeo vero Bibliothecam Anatomicam ad finem properare, ita certe hoc onus levabitur.

Cum primo curru publico advenient ad Te literae anti-Voltairianae T. 3, et literae amicorum, tomi qui nuper de prelo prodierunt. Mirum quantum Flora ista Londinensis Parisina Flora melior est, quae eodem tempore prodit et plurimas exoticas, sed ex vulgaribus continet.

Genevae 5 ad 600 boni cives magistratui se tradiderunt, non-genti vero contra pugnaverunt. Misere ita civitas denique propria viscera distrahit.

Vale, vir Ill., et me ama. Bern. die Februar 5. 1777.

536.

(531).

Post illud purgans medicamentum nunquam satis convalui: multa molitus ut etiam ad corticis usum redierim. Frequentia urinae semper molestissima, clystere saponaco alvum soleo solvere. Caput et sensus interim liberi sunt, et praeter breves aliquas hypochondriaci mali accessiones nihil patiuntur. In magno opere physiologico, quarto in tomo Ebroduni recidunt, quam plurimum

1) Proposizioni e sperienze di Aerologia etc. Como 1776.

angeo. In Bibliotheca perveni ad annum 1690. Propediem duae Bibliothecae prodibunt. Haec mihi alicui sunt solatio, qui frequentissime solus, nisi studia me alerent, prae taedio contabescerem.

Moses ille Voltairius bibliorum impiam, ut omnia, editionem dedit, quae forte novos mihi labores imponet.

Voltae libellos remittam cum Bibliotheca practica, nisi prius desideras; legi non sine voluptate Floram Londinensem, deberes legere ob pulchros characteres florum egregie sculptos.

Caeterum et hic et in Horto Romano doleas vulgarissimas plantas magno sumtu sculptas reddi. Mittam si placet. In codicibus describendis neminem invenio, qui patientiam praestare velit, quod quidem mihi plurima taedia ciet.

Sylvam Evelyni¹⁾ ab Huntero auctam alter Hunterus, incisor, misit.

Velisne sodalis dari novae societati correspondentium²⁾ a Rege Galliae Tuasoni sumtu erectae, praeside Lasone? Potissimum de epizootia secum debent noviter conperta communicare. Nobis dudum nulla est. Herrenschwandius accidit. Proposueram Tissoto, verum iste nepotem variola Tubingae graviter aegrotantem invisurus molestissimum iter suscepit, summae humanitatis exemplo dato.

Vale, vir ill., quem novum in academia Russica sodalem amplector. Pene ridicule me moribundum adjugant, quem ante 30 annos invidia nonneminis excluserat, cum jam titulos meos desiderassent quibus diploma inscriberent.

Bern. die 5. Mart. 1777.

537.

(532).

Magnam varietatem symptomatum post nuperas meas passus sum, nunc aliquid sentio levaminis, Ill. Gesnere, nullam ob manifestam causam. Die 30. primum aedes reliqui, quibus me ab octo mensibus continueram.

Opium 1. alvum constipat, cui malo medeor clystere saponaco, 2. flatus continet, ut mihi subinde molesti sint. Caeterum parum operatur: in rejecto nullum effectum, quem praecipue adit neque valde in ventriculo. Lotium non movet, quod multum reddo, et saepe tamen copiam circumscribit, ut tolerari possit. In morbo suavitatem aliquam conservat, somnum nunc quidem non impedit.

1) John Evelyn, *Sylva or a discourse of forest trees delivered in the Royal Society* anno 1662. London 1664. BB I, 521. Die neue Auflage von Hunter erschien 1776.

2) Die Kgl. Korrespondierende Gesellschaft der Ärzte in Paris, in die Haller 1776 aufgenommen worden war.

Exspecto Bibliothecae anatomicae tomum II., addam Floram Curtisii ob characterem florum, 2. Voltam.

Mittuntne quaeso suos commentarios Petropolitani? Alioquin curabo ut mihi emantur, tomum Wolfius¹⁾ misit XX.

Nihil valde necesse est, quare de societatis epizooticae laboribus sis sollicitus, valde facile vero officio defungeris; si quando morbus epidemicus aliquis dominatur, quod raro fit, de eodem referes quae Tibi videntur.

Amo K lreuterum, sed ultimum opusculum minus placet. Mone quae sint conjecturae. Volva Jungermannia  nihil mihi videtur cum petalis commune habere. Membranas omnes pro antheris difficulter accipio. Muscos ipse meos Kittianis addidi, Marchionissae misi.

Ajunt Marchliniense philanthropinum dissolvi, doleo Salisii sortem.

Exspecto proxime iter Cookii secundum, 2 vol. 4., Evelyni sylvam multum correctam et auctam, et alia.

Engelius Phippium edidit, longa in Mullerum dissertatione auxit, contendit magno impetu ut ostendat utique Russos mala fide suis in mappis geographicis Asiam justo largiorem fecisse. Nondum legi, miratus sum, totum meum in Alfredo locum inseruisse, ubi meus scopus non geographia fuit, sed exempla, ut societas incipiens perfectior plena demum ad felicitatem generis humani foret. Heimkesii(?) exemplo usus sum, ut ostendam quanta bona societati debeamus.

Genevae omnia exardescunt. Aula Gallica tamen ad magistratum testata est, se subversionem gubernii non toleraturam. Omnia subvertent. Consilium generale potest codicem acceptare vel rejicere, codicem scribere per leges proprios non potest.

Meliora de foedere Gallico novo speramus.

Cookius mense Novembri a capite Bonae Spei porro in mare orientale iter vertit. Hortulanum secum habet. Bankesius libens icones mihi promisit.

Hamiltonii Vesuvium hic vendent, audio 4 l. aureis constitutum. Procul dubio vidisti splendidam editionem Napolitanam.

Vale, vir ill., et me porro ama. Bern. die 2. April. 1777.

Hanc schedulam cura quaeso D. Vullson.

538.

(533).

Ecce, Gesnere ill., Bibliothecam practicam, vol. II., Voltae libellos et Curtis, schedulam quaeso pigerrimis Tigurinis mitte.

1) Kaspar Friedrich Wolff (1733—1794).

Die lunae vehementē febre correptus ex frigore, deinde ex aestu plurima passus sum. Intra 24 horas ea deferbuit et res ad solitum ordinem rediit. Suasit non nemo usum Tartari Emetici ad $\frac{1}{4}$ gr. in diem cum cortice Peruviano eo fine ut transpirationem adjuvem. Vellem Tuum et practici viri alicujus inter Vestros consilium audire. Non displicet diaphoretico scopo. Im opio metuo invalescentem constipationem alvi: caeterum plerumque tolerabiliter habeo. Lavaterus vidit me paroxysmo laborantem et languidum, ut vivum equidem, sed summo cum incommodo, quandoque sum. Wolfius misit t. XX Comm. Petr. M... facit sua inventa: Nihil tot paginis dicit nisi foramen ovale canalem esse, cujus dua sunt ostia, sed id dudum notum fuerat.

Kölreutero vix credo meram membranam pro anthera esse, mihi non placet, sed farina globulosa antherae essentiam constituit. Et quid ni plantae sint sexu destitutae, ut sint animalia.

Filamenta Equiseti sunt 4 radii.

St... non vidi, sed puto bibliopolas adlaturos. Kozowsky destitui, sed disputationes Vindobonenses nuper multum degenerarunt, sic Edin<burg>enses.

Auenbrugger¹⁾ ad me scripsit ut tentem remedium. Velles curare ut tentetur? Curatio intra quatrimum perficitur, quae pene nimia felicitas est.

Nullae hic vāriolae sunt, sed morbi diversi et immensa vis morbillorum etiam inter adultos.

Nuper incipimus meliora sperare de foedere et de restitutione, sed Genevae Rex Galliae auctoritatem suam incipit interponere. „Quoique Geneve ne soit qu'un point dans la carte de l'Europe, le Roi ne laisse pas d'avoir les yeux sur cette ville, et ne souffrira pas, qu'on en change la forme du gouvernement.“ Ita Gonninus ad Magistratum retulit.

Filius meus²⁾ societati Neckeri et aliorum adlegatus Parisios se confert cum gente illustri et ... Splendidam fortunam haec promittunt, ego vero divitias ne malim quidem, dum vitae alendae subsidia sufficiant.

Scripta ex itineribus Academicorum Russorum hic proxime de prelo prodibunt, ut prodiit Phippii iter cum longissima Engeli contra Mullerum dissertatione, qua contendit tamen Asiam multo minus ad orientem produci quam Russi suas depingant. Observationes astronomicas nulli momenti esse vult etc. Cookius feliciter

1) Joseph Leopold Auenbrugger (1722—1809), der Erfinder der Perkussion.

2) Der zweite Sohn Emanuel Haller.

itinere defungitur, et his nullum dubium superest: leget enim oram occidentalem Americae, quousque licebit per frigora. M. Novembri literas ex capite B<onae> S<pei> dedit ad Pringlium. Nosti scintillam veram electricam nunc ex torpedine perlectam fuisse.

Vale, vir ill., et porro fave. Bern. die 19. April. 1777.

539.

(534).

Maxima in mea valetudine varietas est, nunc paulo mitius mecum agitur, neque fere nisi ex urinae frequentia et aliquanto longiori mora patior. Alvum ducentia utique vix fero, quare in clysteribus fere me contineo. Mucilaginoso refrigerantia vix tolero, medicamento nunc nihil sumo, cum urina excepta valeam, ea vero nullam sanationem admittere videtur, album pultaceum sedimentum cum ea et perinde cum faecibus alvi, plurimum decedit. Ajunt me hactenus nonnihil carniū recuperasse.

Exspecto Bankesii numerum aliquem tabularum, eas Tibi curabo. Exspecto etiam Cookii iter magnificum. Voltae libellum Tibi debeo, grato sermone scriptum. Fortuna filii inexpectata est et pene incredibilis. In quartam partem succedit negotii opulentissimi, sociumque habet fratrem Neckeri, qui thesauro regio praeest. Uxorem duxit, grato ingenio, bonis, expectatione praestantissimam.

Nihil unquam a Burmanno accepi.

Exspecto Actorum Helveticorum T. VIII. Viëussenii posthuma demum accepi, morbos omnes eodem modo curat, purgantibus cum refrigeratione et dilutione, dein roberantibus. Neurographiam recuderunt.

In negotio scholae obstetriciae sensim progredimur. Spero ad finem nos perventuros.

Bonnetus de taenia dissertationem edidit, cui verum caput (absque oculis) serpentinum cum fissura oris serpentina tribuit et de stigmatibus prodeuntes papillas sutorias. In operum omnium editione etiam progressus fecit, quae opera reculta vidisse gaudeo.

In foederis conditionibus expendendis toti hic sumus neque finem invenimus. Nunc dantur qui de industria difficultates moveant, qui totum opus evertant, infelicissimo ut mihi videtur consilio, etiam nunc potissimum, si Imperator Regem Galliae in sua consilia traducere potuerit.

Linnaeum ad mentis officia omnino inutilem esse, Bergmannum maximis conditionibus a Rege Borussiae avocari, Thumbergium¹⁾ Linnaeo juniori adiutorem destinari scripserunt.

1) Karl Peter Thunberg (1743—1828), norwegischer Arzt und Naturforscher. Gurlt-Hirsch V, 675.

Forsterus et ipse iter descripsit, in quo comes fuit Cookio datus, sed multo minus copiosum aut splendidum. Publicis enim sumtibus Cookii icones sculptae sunt. Massonius hortulanus in tertio itinere cum Cookio abest. Is navigator nunc maxime in mari australi oberrat.

Vale, vir Ill., et me ama. Bernae die 6. Maj. 1777.

540.

(535).

Duas epistolas Tuas, praestantissime Gesnere, coram habeo. Valetudo mea satis recte esset, nisi alvus sicca mihi frequenter molestias faceret. Die 11. iterum dirissima tormina passus sum, cum natura dura scybala summa vi tentaret excutere, quae vero siccitas et durities non sinebat per angustius ostium viam aperire. Clystere mihi subventum est, certe perituro, nisi naturae eo auxilio subveniretur. Caeterum urinae vitia facile nunc tolero, dormio quantum sufficit, appeto, operibus meis defungor. Astacis fluviorum utor, aliquis etiam venarum haemorrhoidalium tumor est, sed absque incommodo.

Pennanti opus accepi, de malo funesto doleo, tabulae mihi caeterum satis bonae videntur.

Accepi Hunteri novam editionem Evelyni. Characteres arborum sylvaticarum habet pulcherrimos. Eos communicabo si videbitur, cum vix exstant certe pro apetalis juliferis; Bankesii tabulas exspecto.

Mirifica mihi videtur providentiae in filium benignitas, qui ea aetate, nullis cum divitiis, societatis pene primus in opulenta civitate socius est. Bertlesiana non accepi.

Esperon a Te laudatum mihi curabo.

Foedus Gallicum nullam, ut spero, moram patietur. Impense gaudeo, quod de restitutione nihil sit actum, et quod spes sit nostros perstaturos.

Saepe miratus sum frequentes apud Vos hominum aetate florentium mortes.

De Heideggero incerta sunt quae audio. Ajunt calidissimis et haemorrhoides cogentibus esse usum et multa aloe et marte. Vitium videtur, ex chirurgi relatione, in vesica esse, ex qua ea vis lotii educta sit. Maxima esset jactura hujus viri.

Quietae vitae redditum Kittium gaudeo.

Splendidum donum librorum a Rossio accepi, novum tomum Buffonii cum quadrupedum minorum iconibus, Palissy 1) singularis viri opera collecta, plurima alia, non exigui pretii.

1) Bernard Palissy, bedeutender französischer Chemiker und Naturforscher im 16. Jahrhundert.

Nundinae satis multos libros adtulerunt, vulgares fere, Rönesperi tamen posthuma libenter legero, quae autem eorum sunt alicujus momenti, Lipsia advecto. Faunam Mullerus misit. Ea usus lubenter exemplum offero. Exspecto libros Neapoli, ad Andream aliquos et propediem iter Cookii secundum a Pringlio laudatum. Utinam Goldenstedi iter prodiret, a quo plurima nova exspecto. De Beakii itinere parva spes est. Insignem botanicum Galli cum sodalibus Hispanis in Semanaviam miserunt, fas est etiam de hoc cuncta sperare plurima, in beatissima nondum satis perscrutata regione.

Wagneri iconibus praefationem praemisi, historiae naturalis curam gerit D. Wytenbach. Utinam splendidissimum opus alicui emolumento editori foret, qui decem et ultra annis pictorem aluit, septem itinera suscepit et plura meditatur.

Italici aliqui libri advenerunt fere exigui momenti.

In Actorum Societatis Londinensis tomo V. icones sunt plantarum nonnullarum. Caeterae Wartwari sunt inter alias eximiae.

Vale, vir ill., et me ama. Bern. 14. Jun. 1777.

541.

(536).

Cardialgia me tota priori hebdomade insigniter vexavit. Ordinato quidem progressu primum a mamilla ad mamillam pressio urgebat, tunc in sede ventriculi, ultimo in coli regione, et tunc dolores evanuerunt. Cortice utor.

Spero me posse addere Physiologiae tomum novum interdum Evelynii novae editioni; certe excusi sunt, sed ob nescio quas tricas his hominibus familiares nondum vult vendi, ut demum 7 tomi simul et semel sint prodituri.

Nunquam vidi Seppii¹⁾ opus, mihi caeterum bene noti, qui aliquamdiu Gottingae vixerat, et tabulas aliquas meas sculpserat.

Non fauna est Danica, sed majus opus zoologiae quod Mullerus edidit. Id Tibi curabo.

Scopolum accepi sed nondum legi. Die lunae ni fallor nostri de foedere constituunt. Nemo dubitat iri approbatum et de Vobis exspectatur. Ill. Heideggeri casus maxime meretur lugeri ob magni viri merita. Ea aetate vitia viarum urinarum lentissima sunt, ut nimis sum expertus. Nunc quidem de malo vesicae mihi sola superest 1. turbida et albida urina cum sedimento pultaceo, 2. quod

1) Johann Christian Sepp, Kupferstecher, lebte anfänglich in Deutschland, später in Amsterdam. Sein Hauptwerke sind Beschouwing der Wonderen Gots in de minstgeachtete Schepzelen of Nederlandsche Insecten. 1762. — Nederlandsche Vogelgelen. 1770. — Flora Batava. 1800. Nagler, Künstler-Lexicon XVI, 275 f.

plerumque diu mictionem et fluentum urinae expectem. Nihil decedit vesicae amplectudini. Nam cum nuper febricitarem et 4 minimum horis lotium retinuissem, id notabili ubertate manavit. Frigus perpetuum mihi etiam molestum est.

Wagneri textus sive potius Wytenbachii excuditor, splendide certe. Auctor confirmat uberes sibi esse subscriptores. Saussurius meliora dabit de molibus glacialibus, sed forte nihil dabit unquam. Videtur enim secum ea esse modestia, ut nihil sibi satis perfectum existimet. Incendium heri aliquot aedes consumpsit. Machinas fulgur avertentes pulveris pyrii promptuariis adfigi nostri jusserunt non sine sumtu.

Ridiculum et tamen ingratum mihi accidit. In Journal Encyclopedique, quod Boullionii prodit, ajunt Gallice prodiisse meorum III vol. epistolarum tomos 2 Gallicos auctos et emendatos. Id me inconsulto factum dolebam, sed fabula est, nihil simile Ebroduni moliti sunt. Germanice tomus 1. de prelo prodiit, sed nondum venit, alter tomus sub prelo est.

Usongius prostat venalis. Italicum accepi misere excusum, cum nonnullis aliis Italicis novis.

Multa nunc est expectatio de notabilibus baronatus Temeswariae, quae Someswariae sub prelo est, auctore Fr. Griselino. Duo nunc diaria Giornale di Modena et Giornale d'Italia constanter ad me mittuntur.

Ut putes aliqua Strangio posse curari?

Bernae die 28. Jun. 1777.

542.

(537).

Die Veneris, Gesnere praestantissime, mitto Hunteri Evelynium ob characteres, tum Mulleri Zoologiam, diversum a fauna opus et nuperum. Valetudo nuper mea fuit certe quam gravissima. Febres intermittentium adfines, equidem erraticae, vires mire frangentes, flatus ventriculo retenti, ut nihil deorsum decederet, gravissimarum cardialgiarum auctores, appetitus defectus, oedematis incrementa.

Ad corticem Peruvianum redii et commodius inde habeo. Flatus dispulsi, appetitus bonus est, vires tamen nondum redierunt et molestissima est perpetua alvi constipatio, quae solis clysteribus iisque aegrius solvitur.

Tristissima etiam mihi accidit optimi Hilferi jactura, quem ictus sanguinis die lunae abripuit, amicum meum et medicum.

Et mihi ille Fränkel acrior justo visus est.

Uva ursi etiam mihi prodesse visa, nullum constantem effectum edidit.

Pictor est Wagnerus, suo utitur arbitrio, scopus ei glaciales moles et magnifica spectacula Alpium exprimere. Sumtus suscepit maximos. Decas I. his diebus prodiit cum Wytenbachii itinerum descriptione, paulum floridiori. Ego praefationem addidi.

Parisinum quod vidi opus nullius momenti est, sculptoris experti labor, sed pessimi delineatoris. Planitiem¹⁾ etiam magis persequitur.

Nostri machinas electricum ignem abducentes promptuariis pulveris pyrii adfigi jusserunt.

Mittam cum Tuo fasciculo duas Bibliothecas pro Ill. Strange Tuaeque bonitati commendabo.

Jacquinius mittit Centuriam IV., ut spero ultimam. Tertiae nummos a Te nondum se accepisse. Tu ea certius nosti. Exemplar Tibi curabo et Saussurio.

Die Veneris comitem de Falkenstein²⁾ expectamus, honores omnes detrectat, etiam equos quos ipsi paravimus, conductitiis usurus curribus. In pagulo Secheron vivit, multum cum Saussurio.

Plura forte haberem Tibi aperienda, sed animus disturbatus est neque sinit plura addere. Vale, vir ill. Bernae 16. Jul. 1777.

543.

Brevia fuerunt gaudia nostra. Novus febris accessus me invasit die 25., deinde frigus nocturnum, nunc mihi molestam urinae frequentiam et dolorificam [mihi] reduxit. Metui locus non erit, ne medicamentis quidem, sed molestiae plurimum. Accedit quod animus, qui diu pertinaciter malo restitit et alacritatis primae tenax fuit, succumbat et paulatim in languorem labescat.

Schulthessius Jacquini memoriam poterit refricare, reperiet enim schedae suae cum Kuhrero consensum. Honestus caeterum vir in errore fuerit. Centuria IV. nondum advenit.

Starkius vero iterum Bernae est.

Mülleri donum est ejus Zoologia, sine icone est.

Regina Suecica humanissimas literas cum nummo splendidissimo 4 unciarum ad me misit. Pulchritudo operis me in stuporem conjecit. De comite Falkensteinio averem scire quo se contulerit. Voltarium momordit-quod eum non inviserit³⁾. Dedit id religionis amori, qui in matre est facitque ut Domina hunc hominem et correptorem humani generis aversetur.

1) Gesner liest monitorem.

2) Kaiser Joseph II., der unter dem Namen eines Grafen von Falkenstein auf seiner Rückreise aus Frankreich durch die Schweiz kam, besuchte Haller am 17. Juli 1777.

3) Vergl. Hallers Briefe an Heyne. Rössler S. 376 f.

Miror nondum advenisse fasciculum a Pringlio missum, de eo tabulas Bankesianas quas continet communicabo.

Quid Tibi vult Scopolius cum sua distributione ordinum inter viros eruditos? Gramina Scheuchzero dicari intelligo, sed plurimorum caeterorum ordinum inscriptos patronos non capio. Mira forte adulatio. Commodum est interim, si quidem a Lindo vix quidquam sperare poterit, hic Aubletium et Forsteri genera habere. Sed Aubletium lego fraudis et figmenti postulari. Idem de Lavedano ad me scriptum est. Novum certe est saeculi crimen.

Saussurius denuo Alpes aliquas glaciales Valesiae adiit. Vereor ne majus suum opus absolvat.

Et Tu, vir optime, cum nihil nunc possit a Lindo sperari, nunc Tuas dabis tabulas.

Thumbergius in Japonia degit, eum juveni Linnaeo suffraganeum addunt. Junior enim Linnaeus¹⁾ plantas negatur amare et invitum ad munus suum accessisse. Loco tamen eum movere nolunt ut parentis memoriae parcant.

Bern. die 30. Jul. 1777²⁾.

544.

(538).

Advenit heri pulcherrimus fasciculus, Cookii iter cum plurimis tabulis et plantarum perpulchris iconibus, Curtisii duo numeri. Advenit etiam systema botanicum Vothernayi Anglice scriptum, quod si Vestrae bibliothecae curare velletis, lubenter venderem, cum duplum habeam. Pretium est 14 shillings = toties 8 bazenis; quando illos excerpsero, mittam si Tibi videbitur. Plurimas enim raras plantas continet.

Post febris paroxysmum diei 25. Julii multum meae bonae valetudinis accessit. Alvus facilius liberatur, appeto. Lotium utique molestum experior, sed hiemem metuo.

Crede mihi, amice, tamen illae invidiosae principum favoris ostentiones animum meum non commovere. Id in votis est, nomen habere in libro vitae inscriptum, aeternitatem cominus contemplor, ita res mundanae evanescent.

Lavaterus non debuisset quartum demum tomum Imperatori obtulisse. Caeterum in hoc tomo plurima mihi displicent, adulatio immensa, laudes pessimorum mortalium, ipsius Spinosae, judicia de multis faciebus, quorum video vero contraria, dicta contortuplicata et saepe ita novatoria, ut viri sensum omnino non capiam.

1) Karl von Linné jun. (1741—1783) bekam 1777 die Professur seines Vaters.

2) Der Brief ist nur in Gesners Abschrift erhalten.

Videtur utique Jacquinus nummos Tuos accepisse. Id cum eo absolvam et in liquidum constituam.

De Heideggeri infirmitate doleo, qui certe decus meruit, quod ob foedus debebatur. Rex aedificationem illam oppidi Versoy jussit deserere, operas dimittere, nummos ipsi subrepticios putatur viarum publicarum reparandarum esse. Interdictum noviter rescriptum. Itaque hinc res jure suo motus minabat non modicos, felicissime composita videtur.

Utique plurimae Tuarum tabularum sunt quam pulcherrimae, summopere dolendum foret, si eae, dum omnes aequae perfectas desideres, supprimerentur. Summam perfectionem si exspectassem, nunquam scripsissem quidquam, nunc si immatura aliqua extrusi, meis quidem honoribus nocui, non ita publicis commodis, cum alia utiliora in ejus usus publicaverim.

Immensum opus Bibliothecae magis me premit quam solebat. Metus est ne adfectum relinquam nepoti meo pernicipi futurum. Et tamen video ante duos annos non posse perfectum esse. Minus promte progredior, quando corpus aegritudine premitur, est ubi dies aliquos otiosos degere coactus fuerim. Gilibertus in Lithuania multa minatur ad historiam naturalem facientia, maxime minerarum, quibus Poloniam ait abundare. Carpathicos montes novi, caeterum in campestri et palustri Lithuania fossilia non exspectassem.

Vale, vir ill., et me porro ama. Bernae die 7. August 1777.

545.

(539).

His volui ut scires me Tibi missurum die si fieri poterit 25.: Bankesii viginti tabulas pulcherrimas, inter eas novum non constitutum genus,

Withering apparatus, quem 112¹/₂ l. redimis,

Curtisii duos numeros.

Incommoda et amplissima forma libri Bankesii.

Valetudo mea iterum vacillavit febre ut puto occulta, quae absque manifesto frigore aut aestu tamen aegritudine me maxima adfecit et appetitum sustulit. Nunc etiam convalesco, sed oedemata per maximum aestum increscunt.

Ego quidem, qui his in rebus laboravi, puto maximum Dei beneficium esse quod Vergennius¹⁾ id foedus desideravit. Tutelam (garantie) nostrarum ditionum Gallicarum recipit, quae videtur posse adfectatorum jurium antiquorum renovationem coercere. Gallia desiit arbitrii jus inter Cantones ex foedere habere.

1) Jean Gravier, Herr von Vergennes, Bruder des französischen Ministers des Äußern, Gesandter bei der Eidgenossenschaft.

Civitas Versoi in suam mediocritatem redit, inhibetur omnibus structuris.

Gratum est Burckhardi, viri optimi, opusculum videre¹⁾.

Saussurius ex amplissimo et laboriosissimo itinere rediit, heri mecum fuit. Retulit Scabiosam graminifoliam (argenteam) et nonnullas alias plantas, etiam Tunicam diversam a meis, quae caeterum similis flore sit in faucibus barbato.

Magnam vim librorum cum filio exspecto qui Il. Parisios reliquit. Quando paulum valeo, delector adhuc libris, saepe autem summum taedium me capit, ut labores invitus suscipiam, pergam tamen cum summo nepotis detrimento Bibliothecae elaborationem intermissurus. Grimmius Floram Thuringiacam praeparat, felix in inveniando, in desiccando industrius. Multas plantas in regione boreali vix speratas reperit in regione <a> Ruppio perreptata. Certum est me stupuisse ad Jenensis florum divitias. Clanculum mihi dictum est, Ruppium plantas passim exoticas in arvis²⁾ seminasse, ut florum patriam ditaret, sed opus erat felici caelo ut educaret. Ita Elichysum elasticum reperi sesquimilliarum a Jena aliasque calidas stirpes.

Vale, vir ill., et me ut soles ama, Bernae die 13. Aug. 1777.

546.

(540).

Die lunae, cum satis commode habere viderer, me iterum febris ephemeraprehendit, aliquanto tamen mitior. Nunc vero incommodissimus adfectus me somno fere privat, qui in necessitate quadam glutienti est, dum siccae fauces repugnant deglutitioni. Miserum hoc symptoma noctes reddit permolestas neque caret metu minisque, idem enim memoravi 1775, peripneumoniae processum, etsi in faucibus haerere videtur.

Sumtus pro Jacquino Tibi, Miegio, Saussurio mihi que repartior. Partes Tuas sunt 23 baz., quos quaeso Schulthessio numeres. Malo Te Tuo nomine nummos Jacquino mittas, cum videtur ideo vir optimus (hic ut vides) nummos poscere sibi non debitos, quos a me habuerit, sed ea molestia Te liberabo.

Audio leges Vestras favere civibus, etsi omni rationi et politicae repugnare videantur. Spero vero effectum iri ut hae irae subsideant.

Filius Parisiis redux plurimos libros adtulit, ad rem tamen naturalem nullos.

1) Gesner fügt bei: „Calendario Turicensi 1778 insertum.“

2) Gesner liest in variis (locis).

Tomus IV. novae editionis Physiologiae prodiit de prelo, nondum secundus, ridiculo quodam typographi instituto. Non vult ante nundinas paschales distribuere volumina, tunc erunt septem vel octo.

Interrumpor, et cursor urget publicus.

Vale, ill. Gesnere, et me ut soles ama.

Icon mea a Pfenningero picta satis placet. Bernae die 2. Sept. 1777.

547.

(541).

Ad duas Tuas epistolas paulo serius respondeo, Gesnere amicissime. Morbi enim incommoda me fere ad omnes labores inutilem reddiderunt. Quod nunc me vexat malum, senilis est pituita neque de aspera arteria solubilis et quae potissimum sub noctem pene suffocat, donec crassae pituitae aliqua parte ejecta paroxysmus quiescat.

Filiae de summa Tua humanitate grato cum animi sensu retulerunt. Libellos retulerunt.

Volta¹⁾ vir egregius etiam me convenit, tum senator Angelus Querini cum medico Castari²⁾.

Nihil boni spero ab his civilibus Vestris motibus. Genevae omnia ardent, Vieusseux incitatissime et intolerabili cum fastu se gessit et praesidens ita in ordinem redigit ut commissio de sciendis (submovendis) legibus dissoluta sit.

Jacquino pertinaciter insistenti meos esse 10 illos ducatos, non Tuos, demum oculos ut puto aperiarn. Hanc Tibi rem ut quidem decet conficiam.

Meliorum Tuam valetudinem gratulor.

Zimmermanni opus zoologicum caro venit. Spero bonum fore. Caeterum quantum novi parum fore novi. Patior equidem me solito minus fuisse in legendo adsiduum, neque enim potui. Potissimum multas bonas horas mihi languor subripit, quo praesente nihil quidquam volo praestare.

Etiam nunc languor me impedit, ut necesse sit epistolae finem imponere. Tu vero vale 22. Oct. 1777.

548.

(542).

Quod meae miseriae Tibi cordi sint, Gesnere amicissime, facis pro Tua humanitate, quae summa est. Hac et priori septimana multum

1) Alessandro Volta (1745—1827), der berühmte Physiker. Seine Schweizerreise im Jahre 1777 ist beschrieben in „Relazione del Prof. Volta di un suo viaggio letterario nella Svizzera. Milano 1827.“

2) Gesner liest Fossari.

passus sum, cum mucus pulmonalis siccatus videretur, ut nunquam nisi cum alicujus medicamenti usu possem quidquam ejicere. Multum usus thermes minerali sulfure aurato antimonii, malo successu, demum solis aquosis. Nunc, quod Dei beneficium non satis possum agnoscere, hodie (2.) primum cepi absque artificio et ampliter potus libare, ut spes sit reliqua paulum conquietura. Molestissima tamen corporis incurvatio valde me vexat et magnitudo oedematum.

Cum Jacquino res Tuas conficiam. Advenit semicenturia Horti Vindobonensis, cum qua id opus absolutum erit. Id mittam die Veneris: Jacquinus vero 5 ducatos a Te petit, ego sumtus aliquos pro oneribus feci minutos.

Si epistola de Quarzo potes aliquot diebus carere et Divionensibus quae dicis Elemens de Chymie, sollicite eorum curam geram, etsi paulo lentius in laboribus versor.

Valde optabile est, ne turbae Vestrates ad Genevensium similitudinem exardescant: in ea enim civitate abrupta omnia sunt parum suscepto conamine impetuoso; sermone D. Vieusseux ita irritatus est Lullius de Chateaurouge praeses, ut commissio ad leges consignandas discesserit, opus imperfectum reliquit. Ex omine mihi causae sunt illi Russeani discipuli, quorum cum placitis nulla Respublica cujuscunque formae unquam cum puncto aliquo tolerabili servari poterit. Et tamen illa principia inter meliora potissimum ingenia dominantur.

His scriptis literae non sunt perfectae, alioquin ita breves ut inutiles erunt, eas hodie mitto, ut sciatis qui me amatis, me aliquantum melius habere. Certe molestissima illa difficultas servandi lotii multum diminuta est, et naturalis facultas pene integre rediit. Oedemata supersunt, dolor in principio mictionis, lentissima et parva mictio, melancholia frequens. Spinae dorsi molestissima incurvatio, cui quantum possum resisto.

Hac hora prima inter plurimas horas mens hactenus serena est. Anne prodiit novus tomus Actorum Erfordiensium? An aliud opus prodiit ejus academiae? hic nihil advenit.

Vale, optime et amatissime Gesnere. Deus Te sospitet, mihi patientiam largiatur, me totum sibi vindicet.

Bern. die 5. Nov. 1777.

Chartae penuriam casui impendenti quaeso tribue.

549.

(543).

Ecce demum serius centuriam III., Gesnere clarissime. Misera mea fecit ut non missa sit. Paulatim tamen convalesco, alvi naturalem facultatem recuperavi, expectoratio etiam multo facilior est,

sed dolores inmanes manum dextram, etiam genua tenent et tibiam sinistram. Vidi Struvium Lausannensem aliqua medicamenta ad illustrem consulem mittere. Mihi urina non quidem retinetur, caeterum cum dolore et molestia redditur, ventriculus etiam usu aquarum (ob pectoris crassam pituitam) mire debilis est.

Redibit liber m. . . . , quem legi. Sumtus pro Jacquino erunt fere 10 baz.: eam semicenturiam Te accepisse velis, rogas exserte, ter ob Jacquinum Te praeposui, ostendi errorem committere, nummos a me nullos acceptos, quos a Te accipere tantum me curante missos, et spero hanc Tibi molestiam porro nullam fore.

Lego pauca obrutus doloribus, somnolentia, porro tamen studii amore utor, etsi paulo post . . .

Metuimus magnas difficultates propter codicem legum . . . Difficillima a nobis studia repscere videntur.

Heri, postquam diu Rosseletus, clinicus fere noster celebrior, morbum meum spreverat, nunc victus ob mea dicta vult, et non quidem ob pectoris angustiam, quae non sit tanta, sed ob marasimum periculum habere mortis imminentis.

Nunc quidem marasmo non resistam, perpetua enim febricula est pulsum fere 100. Oppressio tamen pectoris ingens ob mucum viscidum, difficillime obsequiosum. Praeterea appetitus plane deficit.

Sunt tamen aliqua in mitius versa. Oedema alterius pedis perexiguum, cum sputa viscida aqua properet, manet, dolores carpi sinistri et dextri, crucis pene nulli.

Adeo tamen moveor ab hac febricula, cui corticem oppono, ut omnino dem, mihi periculosum esse morbum, Deum invocandum, ut fidem in Jesum Christum augeat et ad aeternitatis curam omnia mea cogitata convertat, ut me ex meritis servatoris in gratiam suam velit recipere.

Tu vero, amicorum antiquissime et optime, vale et me ama, dum vivo superstes. Bernae die 3. Dec. 1777¹⁾.

1) Am 12. Dezember starb Albrecht von Haller. Er wurde im Friedhof neben der Dominikanerkirche begraben. Seine Bibliothek und seine Manuskripte erwarb Kaiser Joseph II.